IMAGO DEI
IMMORTALIS
ANIMA RATIONALIS

AD EXPRESSIONEM
AETERNAE RATIONIS FACTA

EVIDENTER
SPIRITUALIS
ET EVIDENTER
IMMORTALIS
OMNI HOMINI DEMONSTRATUR

A FR. UDALRICO A GABLINGA

ORD. MIN. S. P. FRANCISCI CAPUCCINORUM
OLIM PHILOSOPHIAE
NECNON SACRAE THEOLOGIAE LECTORE

EDITIO SECUNDA
INFALLIBILI VERITATIS, FIDEI, ET RATIONIS
CRITERIO FIRMATA

CALARIS REGNI SARDINIAE CAPITALIS
EX REGIA TYPOGRAPHIA

MDCCLXXVII

DEUS Gen. c. 1 v. 27 ait:

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & praesit piscibus maris, & volatilibus Caeli, & bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.

DIVISIO
THEMATIS, ET OPERIS

IMAGO DEI IMMORTALIS,
ANIMA RATIONALIS
EXPRIMIT RATIONEM AETERNAM

I SIMPLICI PERCEPTIONE,
II INFALLIBILI ENUNCIATIONE,
III IMMUTABILI ILLATIONE:

EX QUO

SIMPLICITER INTELLIGITUR, INFALLIBILITER IUDICATUR,
ET IMMUTABILITER INFERTUR:

ERGO

ANIMA RATIONALIS EST EVIDENTER SPIRITUALIS,
ET EVIDENTER IMMORTALIS, QUIA EST IMAGO
DEI IMMORTALIS VERA, ET EXPRESSIO
AETERNAE RATIONIS VIVA.

EVIDENTIA ISTIUS IRREFRAGABILIS ARGUMENTI
IN HOC OPERE

I SIMPLICITER,
II INFALLIBILITER,
III IMMUTABILITER,

DANTE DEO
DEMONSTRATUR

EXIMIUS IMAGINIS ISTIUS ET OPERIS
USUS ET FRUCTUS EST

IMMORTALEM DEUM

REPRAESENTARE AD VIVUM

I RES UNIVERSAS IN SUA AETERNA RATIONE
SIMPLICITER DEFINIENDO

II SIMPLICITER DEFINITAS SECUNDUM AETERNAM RATIONEM
INFALLIBILITER DIIUDICANDO

III INFALLIBILITER DIIUDICATAS PER AETERNAM RATIONEM
IMMUTABILILER DEMONSTRANDO.

DIVINUM PLANE ID SAPIT GENUS VITAE
TOTUM SPIRITUALE, TOTUM IMMORTALE
CUM DEO
IPSIS ANGELIS, ET HOMINIBUS RATIONE UTENTIBUS
COMMUNE :
PER HUIUS RATIONALIS VITAE USUM

I PHILOSOPHIA *CHRISTIANA* SOLEMNI *PRINCIPIO*
INSTAURATUR

II ANIMA RATIONALIS MIRO *SCIENTIARUM* SPLENDORE
ILLUSTRATUR

III IMPIA *MATERIALISTAR.* SECTA IRREVOCABILI SENTENTIA
DEO VINDICE
CONDEMNATUR

DEO IMMORTALI

UNIVERSAE NATURAE

AUCTORI

DUM Tu Ipse, Omnipotens Auctor universae naturae Deus Immortalis, per tuum ineffabile verbum a quaerentibus: an censum dare Caesari sit licitum, nummisma petis, atque eiusdem imaginem & inscriptionem inspiciendo decisiva sententia ea, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt Dei, Deo danda concludis: non possum non Tibi litterarium isthoc nummisma, ceu summae observantiae, & gratitudinis maximae, quam tuae sacratissimae Maiestati infinitis titulis obstrictus debeo, iustissimum censum offerre, sacrare, dedicare; etenim & istud imaginem & inscriptionem illius Caesaris praefert, Qui Tu Idem Ipse es supremus Caeli Terraeque Dominus: & quia Deus & Caesar es, utroque iure Caesareo & Divino incircumscripto Tuo id adiudicatur Dominio, quod imago Dei Immortalis ad expressionem tum RATIONIS, tum pulcritudinis aeternae a Te factum conspicitur. Philosophicus hic apparatus, quem qualiscumque opella mea conscripsit, totus est Tuus, & Te Deum SCIENTIARUM

DOMINUM, *omnium aeternarum veritatum Oraculum agnoſcit & praedicat*, *dum Te animae rationalis internum Doctorem & Magiſtrum unicum*, *ceu verum INTELLIGENTIAE SOLEM*, *ac LUCEM MENTIUM orbi univerſo demonſtrat*. *Te aeternam RATIONEM mens rationalis in omni ſua operatione ſive ſimplex perceptio*, *ſive infallibilis enunciatio*, *aut immutabilis illatio ſit*, *dilucide exprimit*, *& intuenti Angelo & intendenti Homini imaginem Dei Viventis praeſentem ſiſtit*. *Accipe igitur*, *rationalis naturae Auctor & RATIO*, *quod titulo adeo iuſto Tuum eſt*, *ut nec alterius*, *niſi Tui ſolius eſſe aut poſſit*, *aut velit*, *atque gratioſo annutu proſpice*, *ut quiſquis iſtam Tuae Immortalis Maieſtatis imaginem*, *expreſſionemque reverenter ſuſpexerit*, *Te Deum Immortalem in propria ſua anima*, *ceu in eleganti imagine Tua videat*, *viſumque ex toto corde ſuo*, *& ex tota anima ſua Te diligat*, *quod dum pientiſſimis votis poſtulo magis*, *quam peto*, *ad ultimos profundiſſimae ſubiectonis cineres inclinatus*, *Te Deum Scientiarum DOMINUM & MAGISTRUM per iſthoc*, *quod ſupplex defero*, *homagium fideli corde & ore peramanter profiteor*, *ſemperque eſſe*, *& vivere humillime glorior*

TUAE DIVINISSIMAE
MAIESTATIS, *et MAGISTERII*

Infimus ſubditus & diſcipulus

AD UNIVERSITATEM CRITICAM
ECLECTICORUM
PERIPATETICORUM
LIBERTINORUM

Ut idipſum, quod Auctori univerſae naturae ſacratur honori, omni homini proficiat ad ſalutem. Haec Dei Immortalis imago anima rationalis, qua Divina arte ad expreſſionem Aeternae Rationis facta ſit evidenter Spiritualis, & Immortalis, Benevolo Lectori ad iucundum intuitum, & Materialiſtis, qui animam hominis materialem, & mortalem volunt, ad ſalutare documentum obſequioſe exhibetur. Enimvero quiſquis univerſum hodierni temporis, & orbis ambitum attentius perluſtrat, celebrem infinitorum prope Criticorum Univerſitatem eſſe luculenter obſervat, dum illi omnes, qui erudito hoc ſeculo inter ſcientificos honorari deſiderant, prae ceteris diſciplinis Criticorum Scholam, ceu Philoſophiam vehementer adamant.

Imago, quam caeleſtis Morpheus dormienti Regi, & Prophetae oranti ad vivum depinxit, apparebat quaſi ſtatua grandis, & ſtatura ſublimis *: ſtatuae caput erat aurum optimum, pectus & brachia argentum, venter, femora & tibiae aes & ferrum, pedum autem quaedam pars erat ferrea, quaedam fictilis. Statua contra Regem ſtabat tota terribilis, tota admirabilis. Prognoſticon id, quae per univerſum ventura

*. Dan. 2 v. 31.

essent Regnorum discrimina, fuerat spectaculum. Amplissimum Sapientium huius mundi consessum si regnum philosophicum dixeris, te a veritatis centro haud procul aberrasse in isthac statua ceu umbram spectabis.

Integrum Philosophorum regnum instituis e millibus electa Philosophia eclectica, dum tua amabili rerum naturalium notitia, quam innumerabilia experimenta attestantur, propemodum a mari dominaris usque ad mare. Regium tuum caput splendet ceu aurum optimum, quamdiu ex approbatis Auctoribus, ceu apis mel ex floribus, aureum reconditae veritatis & virtutis legis selectum. Industria tua indefessa pretiosae veritatis thesaurum veluti dilecta suum sponsum requirit pretiosissimum. En sub modicis hisce foliis ceu sub arbore tuus quiescit Dilectus, electus ex millibus, Magister unicus, VERBUM de Spiritu sancto conceptum, & in virginea Matre incarnatum. Caput eius aurum est optimum, utpote sicut aurum inter metalla, ita RATIONIS aeternae internum Magisterium, quod omnis veritatis & virtutis primum PRINCIPIUM & ultimum CRITERIUM est excellentissimum. Aspice igitur, dilecta Philosophia eclectica, Regium Caput hoc aureum, & inspice: Dilectum hunc tuum, & Magistrum unicum amoroso studii tui affectu amplexare, atque ad Regii & aurei Capitis istius imaginem te esse factam, non ut luteum sapientiae huius mundi, sed aureum sapientiae Dei tui circumferas caput, profundius meditare.

Statuae admirandae pectus & brachia erant argentum; venter, femora & tibiae aes & ferrum. Veluti notabiles hae partes corpus statuae propemodum totum, sic Scholae Peripateticae amplissimum formant Imperium. Philosophia Thomistica, Scotistica, ac Recentioristica quid nisi tot late patentes & longe excurrentes eiusdem Regni, & Imperii Peripatetici estis Provinciae? Quantum scripsistis & docuistis, quantum laborastis & sudastis, tantum universae Ecclesiae Catholicae dilectissimae Matri vestrae, ceu Filiae Regum obsequiosissimae, con-

ſecraſtis, dum veſtra documenta philoſophica, veluti totidem ancillas, & famulas pediſſequas ſacroſanctae Theologiae quotidiano uſui, ac ſervitio dedicaſtis: Propterea pectus veſtrum & brachia ſunt argentum, quia Philoſophiae veſtrae argenteo ſplendore, veluti nitidus candor argentum, Eccleſiam Dei decoraſtis, ac ſtudiorum veſtrorum potentia tum cogitationes, tum mentes veſtras ab impuritate materiae eouſque abſtraxiſtis, ut praeter intelligibilem, & materialem mundum vere scientificum conſtruxeritis. In quo vix aliud praeter attentam reflexionem ſupra Divinum INTELLIGENTIAE SOLEM, qui in mundo intelligibili ſicut hic ſol corporeus in materiali rationis lumine ſplendet, deſideratur. Venter vero, femora & tibiae veſtrae aes & ferrum ſunt; ſicut enim aeneus campanae clavo ferreo percuſſae ſonus, ita gloriae veſtrae fama in omnem terram evolando iucundo reſonat ſonitu. Dignemini igitur, Scholae celeberrimae, & imaginem Dei Immortalis, quam praeſens tractatus deſcribit, ad religioſa muſaea veſtra permanenter admittite, atque per hanc veluti per ſpeculum, quatenus in intelligibili mundo veſtro ſcientifico Divinus INTELLIGENTIAE SOL per naturale rationis veſtrae lumen reſplendet, animamque veſtram evidenter *Spiritualem*, & evidenter *Immortalem* eſſe demonſtrat, benevoli ſpectate.

Porro quia vidiſti, ulterius Regi ſtatuam exponit vates, pedum, & digitorum partem teſtae figuli & partem ferream, Regnum diviſum erit. Et quodnam iſthoc in philoſophica Univerſitate Regnum in ſe diviſum, niſi numeroſum Libertinorum collegium? qui vel in hoc uno, quod ſemper inter ſeſe diſconvenientes ac diſſentientes ſint, conveniunt, dum ſolemne ſeu privilegium, ſeu decretum, quod ſentire, ſcribere & dicere libet, hoc totum licet, rigide obſervant, atque tot ſententias quot capita eſſe, ſuae libertatis tum vivendi, tum cogitandi veluti ius naturale iudicant. Libertinorum autem ſicut ſtatuae pedum quaedam pars eſt ferrea, quaedam pars fictilis, quia

partim *Spiritus fortes*, ceu ferrei, partim *Materialiſtae*, ceu fictiles nominari affectant.

Quod autem vidiſti, pergit ſacer Interpres, ferrum miſtum teſtae ex luto, commiſcebuntur quidem ferreae & fictiles ſententiarum concluſiones, ſed non adhaerebunt ſibi, ſicuti ferrum miſceri non poteſt teſtae. Commiſcetur philoſophia veſtra, ſpiritus fortes Materialiſtae, dum inter voſmetipſos diffidentes omnem a materia diſtinctum negatis ſpiritum, dumque materiam ſubtiliorem ſpiritum cogitantem eſſe contenditis: at ferrum miſceri non poteſt teſtae; ergo multo minus *Ens Spirituale*, quale eſt *Spiritus*, poteſt eſſe *ens materiale*. Inane nomen, *Spiritus fortis*, ſine omine portatis, perdilecti; veſtra enim philoſophia tota fictilis omni prorſus fundamento ſolido, ceu ſchola ſupra arenam aedificata, eſt deſtituta. Parcite, ſi id vobis diſpliceat, ingenuae Veritati: modicum iſtud volumen tollite, legite, veſtriſque oculis videbitis, manibuſque palpabitis quam certum ſit quod hic conſpicitis. Et ecce quae ſit ultima ſors veſtra: videbat Rex ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Quotquot eſtis, imaginarii *Spiritus fortes* & fictiles, vos ceu ſtatuae pedes infirmos abſciſſus de monte lapis ſine manibus, ideſt de Spiritu ſancto conceptus a Virginea Matre Chriſtus verus Deus, & Homo, ipſa Veritas viva, cui appropriatur internum mentis MAGISTERIUM, certo comminuit, dum Omnipotentem Virtutem ſuam per RATIONEM Aeternam, per quam vana veſtra ſomnia, mentiſque veſtrae deliramenta, in quibus animam rationalem non *ſpiritualem* ſed *materialem*, non *immortalem* ſed *mortalem* fingitis ceu inanem fumum diſſipat, evidenter oſtendit. Sapite igitur, perdilecti, & ſaluti & ſcholae veſtrae cautius providete.

Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram, dum orbis Ethnicus, qui

confictas idolorum ſtatuas ceu Deos Deaſque adorabat, in unitate fidei effectus eſt Catholicus, dumque philoſophia mundana contemtis veterum Philoſophorum erroribus facta eſt CHRISTIANA, ſacroſanctae Theologiae famula Religioſa. RATIO aeterna magnus iſte lapis eſt: lapis iſte *primum* ſimul & *ultimum* ſicut *Fidei Divinae*, ita & omnis ſcientiae humanae eſt fundamentum, atque ſolidiſſima baſis. Si ſupra hanc tuam Dei imaginem animam rationalem ceu ſtatuam cum Philoſophia Chriſtiana imponis, Lector amice, aſſimilaberis viro Sapienti *, qui aedificavit domum ſuam ſupra petram, contra quam nec portae inferi, nec fallaciae libertiniſmi unquam praevalebunt; etenim dum anima tua *aeternam Rationem* ſimpliciter percipit, perceptam infallibiliter diſcutit, diſcuſſamque immutabiliter demonſtratam oſtendit, ad expreſſionem aeternae Rationis ſe factam, nec non *Spiritualem* & *Immortalem* ſe eſſe evidenter agnoſcit. Unde dum infallibilis aeternae Rationis, quae ipſam continuo intus docet, Magiſterio ſecura acquieſcit, immaculata Divini Magiſtri ſui Chriſti IESU diſcipula, nulla corruptionis, aut deceptionis labe unquam violanda, conſtanter ſubſiſtit. Quod inſigne decus dum tibi ſincero ex corde auguror, praeſentes paginas, in quibus teipſum deſcriptum cernis, ad quotidianum tuum obſequium, & uſum confidenter offero. Benevolus igitur hanc tuam imaginem, ceu munuſculum tibi datum accipe, proſpere vive, & vale.

* Secus qui ſupra materiam, quae nonniſi labilis arena eſt, mentis ſuae ſtructuram cum Materialiſtis reponit in Evangelio Matthaei aſſimilatur viro ſtulto . . . Eximiae laudis parum ſatis.

NOTA

I

Inter plures, quae iſtam Imaginis Dei Immortalis ſecundam editionem urgebant, graviores rationes non poſterior videbatur, ut id, quod in prima editione obſcurius apparebat, clariori ſtylo, qui ad Lectoris foret beneplacitum, officioſius proponeretur, atque praeter obſcuritatis umbram, quae ad imaginis decorem neceſſaria eſt, deinceps vix alia notaretur. Propterea quivis aſpectu ſuae mentis, qui ratio hominis eſt, in hac Dei Immortalis imagine ceu in ſpeculo ſeipſum delectabiliter obſervare, & quantae pulchritudinis, ac dignitatis ſua propria anima ſit, eo, quo magis placuerit modo, iugiter contemplari poterit.

II

Praeterea ſi eruditio Lectoris, dum hanc Dei imaginem in breviori forma, quam humilis iſte tractatus perhibet, delineatam cernit, quarumdam rerum aut rationum, quae hinc inde minus, quam deſideratur, legentis oculo demonſtrata videntur, partim argumentorum, partim dubiorum, quae ab adverſario obiici poſſent, & a defendente reſolvi deberent, maiorem copiam requirat; eumdem omnino perſuaſum, certumque volumus tractatum hunc totum earumdem rerum & rationum non minus, quam ipſius imaginis Dei animae rationalis catenatae demonſtrationis argumentum eſſe adeo foecundum, & firmatum, ut id ipſum, quiſcumque voluerit, facili negotio quaſi in immenſum extendere, eiuſdemque virtute, quae hoſtes veritatis opponunt, veluti lux ſolis adverſantes noctis tenebras diſſipat, praepotenti reſolutione in nihilum redigere valeat.

PARS PRIMA

IMAGO DEI

IMMORTALIS

ANIMA RATIONALIS

EXPRIMIT RATIONEM AETERNAM

SIMPLICI PERCEPTIONE

Ad imaginem, & ſimilitudinem Dei immortalis factus eſt homo.

I Quam praefixus titulus praefert veritatem, & praeſentis tractatus eſt caput, trium teſtium *Dei* ſcilicet & *Hominum*, *totiuſque naturae* irrefragabili auctoritate firmatam, univerſorum exſpectationi, ſive Chriſtiani, ſive Barbari, aut Materialiſtae ſint, ſerena fronte proponimus. Debita cum reverentia ſuſpiciamus primo auctoritatem Divinam, dein humanam, & tandem ipſam naturam. Deus, Geneſis I v. 26 dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & praeſit piſcibus maris, & volatilibus caeli, & beſtiis, univerſaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Dei viventis ideſt teſtimonium. *Infallibilis* in dicendo *auctoritas Dei*, cui tota fides Divina, ceu domus ſuo fundamento, innititur, duas praecipue perfectiones divinas connotat, quarum prima eſt Divini intellectus in cognoſcendo verum *infallibilitas*, altera Divinae voluntatis in volendo dicere verum *indefectibilitas*: utraque iſthaec perfectio in Divina

auctoritate adeo necessaria est, ut sine *infallibilitate* fallibilis, & sine *indefectibilitate* defectibilis, & hoc ipso nullus esset Deus; ergo allegatum: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, Dei infallibilis existimandum est irrefragabile testimonium; utpote Deo vivo, & vero non minus repugnat in suo intellectu, cognoscendo aliquod pro vero falsum, posse falli, quam in sua voluntate, volendo dicere aliquod pro falso verum, posse fallere. Unde praesignatum Dei testimonium sicut infallibilis & veritatis, & auctoritatis esse cognoscitur, ita & ipse fidei actus, quo idipsum firmiter credere debemus, infallibilis pariter certitudinis esse clare conspicitur.

Hominem ad Dei immortalis imaginem factum testatur veteris Synagogae auctoritas.

II Comprobata auctoritate *Divina* ponderabimus & *humanam*. Fidei certitudo pro sua mensura tenet *probitatem*, & *scientiam auctoris*, pro maiori enim auctoris scientia, & probitate difficilius semper est aut ipsum ab aliis falli, aut alios fallere: primum scilicet ab aliis falli, est *ignorantiae*; secundum vero alios fallere, culpabilis *malitiae* est argumentum, unde si in veritatis assertore sit infinita Sapientia, & probitas summa, falsitas testimonio illius erit impossibilis, veritas e contra atque certitudo omnino necessaria. Quanta integrae Iudaeorum synagogae per quatuor annorum millia ad Christi Domini usque tempora in Divinorum eloquiorum notitia auctoritas fuerit, nemo non ignorat, nisi qui in orbe litterario peregrinus exstiterit, ab ipsa enim mundi constitutione infallibilem fidei Divinae veritatem, quae in verbo Dei *tradita*, dein in *scripto* fundabatur, non solum constanti fidelitate professa est, sed plurimorum quoque fidelium, qui ex fide Divina vitam suam instituerunt, quales erant SS. Patriarchae, & Prophetae, suorum probitate morum, vitaeque sanctimonia, veluti irrefragabili sigillo, suam in verbum Dei fidem obsignarunt, unanimiter credentes hominem ad imaginem, & similitudinem Dei, secundum supra notatum Divinum testimonium, a suo Creatore esse conditum. Contestationis istius tot habemus testes, quotquot ab initio mundi vixere innumeri Iudaeorum fideles.

Idipsum confirmat auctoritas incomparabilis totius Ecclesiae Catholicae, quae est UNA.

III Auctoritati synagogae, omni exceptione maiori, veluti exsurgenti aurorae succedit clarissima dies, Una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, seu quod idem est, *Una, Sancta, Catholica, & Apostolica auctoritas.* Haec tanta est, sicut semper fuit, & est hodie, ut non possit esse nisi *Una unitate fidei* & veritatis, quia nonnisi *Unus Deus*, cuius est *Una, & indivisibilis auctoritas*, cui tota fides super-

naturalis innititur, & vel ideo non nisi *Una fides*: * (nequaquam plures!) Supra *unam*, & *indivisibilem* auctoritatem Dei fundata subsistere potest. Fides reliquae omnes, quia *uni* Deo, & *uni* fidei contradicunt, non supra unius infallibilis Dei auctoritatis Petram *unam* aedificatae, contra infallibilem Dei auctoritatem a suis haeresiarchis, & impostoribus constructae sunt, eo quod Deus duas *contradictorias fides* simul veras facere, aut dicere, non possit. Ex quo manifeste deducitur, quod non alia inter omnes, quotquot sunt, aut esse possunt auctoritates, stante hac Dei providentia, nisi auctoritas Catholica *una* in veritate rei subsistens dari possit. Quapropter auctoritas Ecclesiae Dei ita est *una*, seu indivisa in se, & divisa a qualibet alia, ut non possit aliud simul esse, praeter id ipsum, quod est nimirum *una Ecclesia*, & *auctoritas una*.

UNA auctoritas SANCTA.

IV Quemadmodum autem Ecclesiae auctoritas est *una unitate fidei*, & *veritatis*, ita etiam est *auctoritas sancta sanctitate morum*, & *doctrinae*, quae non solum docendo, sed etiam vivendo id omne, quod *Verum*, & *Bonum*, id omne, quod *Iustum*, & *Sanctum* sine simulatione approbat, atque observat; & e contra id omne, quod *falsum*, & *malum*, id omne, quod *iniustum*, & *impium* sine exceptione reprobat, & condemnat. Enumera multa centena millia eorum, qui in ista *Sancta auctoritate*, quae innumerabilium Iustorum, Sanctorumque Societas est, integerrima morum innocentia, vitaeque sanctimonia, veluti tot splendidae stellae, fulgebant in terris, & amodo fulgent in Caelis: enumera multa centena millia eorum, qui hodie in spiritu iuste sentiunt, & in veritate sancte vivunt, & deinceps usque ad consummationem seculi tales, tantique semper permansuri sunt. At citius innumerabiles stellas, quam omnes universae Ecclesiae Iustos & Sanctos computabis. Scientia & doctrina istius *Sanctae* auctoritatis est adeo pura, & immaculata, ut omnes suos adversarios animose provocet: Quis ex vobis sive homines, sive daemones estis, quis me arguet de peccato culpabilis ignorantiae, aut malitiae? Quodque instar ingentis miraculi est, innumeri, qui istius Sanctae Societatis, & auctoritatis digni sunt Socii, in numerosa sententiarum, opinionumque copià studio pertinacissimo quantum possunt, sibi invicem contradicunt: at horum contradicentium omnes & singuli in hoc, quod Deus in conditione mundi dixerit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram* &c. Concordes unanimi voto consentiunt. Ideo per idipsum evacuatur illud solenne proverbium: *Quot capita, tot sententiae*.

* Qui omnem fidem negat, omnemque auctoritatem repudiat, & seipsum impostorem, & mendacem esse, qui nulla fide dignus, palam affirmat.

UNA, SANCTA Auctoritas CATHOLICA.

V Non solum *Una*, & *Sancta*, sed insuper etiam *Catholica* est praelaudata Ecclesiae auctoritas. Vox *Catholica* ex Graeco nomine, *Catholicos*, derivata in Latino idem ac *universalis* significat. Duplex autem hic observanda est *universalitas*, una *loci*, alia *temporis*. Quoad *locum* auctoritas illa *una*, & *sancta* est *universalis*, quia sicut sol suo splendore, ita haec auctoritas sua amplitudine totum orbis ambitum implet, utpote nec ulla reperitur regni cuiusdam provincia, ubi non vivit, & docet sive in pluribus, sive in paucioribus *auctoritas Catholica*; *temporis* autem universalitate eadem adeo venerabilis est senectutis, ut ab ipsorum Apostolorum aevo, ceu rivulus ex primo fonte, quem hodie veluti magnum orbis Oceanum laetantes suspicimus, amplissimum continuae successionis fluxum incessanter deducat, quod vel ipsi haeresiarchae Lutherus, & Calvinus una cum suis asseclis, quia id negare non possunt, nolentes volentes concedunt. Quapropter haec *Una*, *Sancta*, *Catholica* auctoritas est etiam

UNA, SANCTA, CATHOLICA, Auctoritas APOSTOLICA.

VI Ne rideas, Materialista insolens! dum *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam auctoritatem* simul & *Apostolicam* inaudis, aut quod magis sacrilegum foret, vel ideo, quia ab apostolis, qui vix aliud praeterquam simplices piscatores erant, linea recta descendit, pueriliter contemnendam putes. Ecce enim, quia a glorioso Apostolorum stemmate, cuius Radix ipse Unigenitus Dei Filius, omnes & singuli sibi invicem succedentes summi Pontifices, Patriarchae, & Episcopi, atque per hos innumerabilis operariorum apostolicorum multitudo, per lineam nulla temporum iniuria interruptam, continua successione descendunt; ideo ecce, ista auctoritas est *Una*, ideo haec *Una* est *Sancta*, ideo haec *Una Sancta* est *Catholica*, & ideo haec *una Sancta Catholica* auctoritas est *sola Apostolica*, propterea, qua late patet orbis terrarum *Talis* *, ac *Tanta* est, ut in huius conspectu si Materialistarum & Turcarum, si Lutheranorum & Calvinistarum, ceterorumque Sectariorum turba in comparationem constituatur, ceu *auctoritas prorsus nulla*, imo & huius ipsius nominis, *auctoritas*, indignissima iure maximo,

* Si *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica auctoritas* tanta est, ut in illius conspectu omnis alia, quae in mundo apparet, sit prorsus *nulla*, *nulla* auctoritas Iudaeorum hodiernorum, prorsus nulla auctoritas Lutheranorum, & Calvinistarum aeque. ac ipsa auctoritas Turcarum, quantum fidei argumentum concernit, prorsus *nulla* est: quanta igitur in comparatione illius pensanda est auctoritas *unius* Lutheri, & *solius* Calvini? Quanta auctoritas *unius* Melancton, & *solius* Zvvinghi?

meritoque optimo habenda, & pensanda fit.

VII. Terribile isthoc decretum iudicii contra omnes Ecclesiasticae auctoritatis inimicos dictat, & fulminat ipsa aeterna Ratio infallibilis: quidquid enim uni & verae, sanctae & legitimae auctoritati pertinaciter contradicit, id totum falsum est, totum id illegitimum, & iniustum est; atqui tota Materialistarum, & Turcarum, tota Lutheranorum, & Calvinistarum, auctoritas, seu secta uni & verae, sanctae & legitimae auctoritati pertinaciter, contumaciterque contradicit: * ergo Materialistarum, & Turcarum, Lutheranorum & Calvinistarum, non est vera, sed falsa, non legitima, sed illegitima & iniusta auctoritas, ideoque *prorsus nulla*. Confirmatur hoc argumentum ab eadem aeterna & infallibili Ratione ex eo, quod eadem immutabili necessitate una inter duas sibi invicem contradicentes propositiones e. g. *Omnis qui Ecclesiam Christi obedienter non audit, est coram Deo, & iusto homine sicut Ethnicus, & Publicanus*, est necessario

qui ab eadem Una, Sancta, Catholica, & Apostolica auctoritate totidem: contumaces haeresiarchae, totidem falsarii, seductores, foedifragi, mendaces, ac sacrilegi apostatae, quorum scientia, & doctrina erronea, eorumque vita scelerata, & scandalosa, per iustitiae intemeratae processum unanimi sententia coram caelo, & terra condemnari exsistunt? Edicito Sana, Sanctaque *Ratio*, quid desuper sentis? An tu horum auctoritatem, quae prorsus est *nulla*, *Uni*, *Sanctae*, *Catholicae*, *& Apostolicae auctoritati* praeferendam iudicas? An tu, Sana *Ratio* hisce haereticae pravitatis auctoribus in fidei auditu obtemperare, atque aeternae salutis suae discrimen committere, uni vero & Sanctae, Catholicae & Apostolicae auctoritati irrefragabili petulanter resistere, & contradicere, eamdemque contemnere dignum, & iustum, sanctumque dictas, & approbas? At id ipsum tuo aeterno ac infallibili dictamine, ceu immutabili decreto, negas, & reprobas: ergo omnes contra totam *Rationem*, quae *obiective* ipse est Deus, ideoque contra ipsum Deum delinquendo agunt, quotquot Luthero, & Calvino, quotquot Melanctoni, & Zvvinglio Fidei, Salutisque suae aeternae gravissimum negotium improvide committunt. Attentius idipsum ut perpendas lector, vehementer te rogo: & si in Lutheri, aut Calvini secta forte minus felici sis natus, cum quinque prudentibus Virginibus mature sapias, tuaeque saluti, ne cum quinque fatuis reprobus fias, vigilanter prospicias.

* Auctoritas enim Catholica ex divino verbi Dei testimonio docet: anima rationalis ad imaginem Dei Immortalis est facta, ut Deum Immortalem ad vivum exprimat, ideoque evidenter Spiritualis, & Immortalis subsistat; Materialistae autem id totum negando contradicunt contradictoria propositione hac: anima rationalis ad Imaginem Dei Immortalis non est facta, ut Deum Immortalem ad vivum exprimat, ideoque evidenter Spiritualis, & Immortalis subsistat; unde si prior auctoritatis Catholicae propositio affirmativa est vera, haec posterior Materialistarum est necessario falsa: atqui... Ergo? Nota tibi, lector, & hac ipsa concertandi arte contra omnes perversi generis, sive Haereticos, sive malos Philosophos animosus utere, & securus esto, quoties pugnam cum adversariis inieris, toties gloriosam victoriam ad honorem Dei, & tui ipsius meritum reportabis.

vera, & pari necessitate immutabili contradicens propositio haec: *Aliquis qui Ecclesiam Christi obedienter non audit, non est coram Deo, & iusto homine sicut Ethnicus, & Publicanus*, est necessario falsa; ita pariformiter eadem contradictionis immutabili necessitate inter duas sibi contradicentes auctoritates una, quae legitima est, necessario est vera auctoritas, & altera huic verae auctoritati contradicens auctoritas necessario est falsa, & consequenter *nulla auctoritas*. Quod autem auctoritas Ecclesiae Catholicae vera & legitima sit, manifestum habetur ex hac infallibili Ratione: auctoritas, quae est *una unitate fidei, & veritatis*, quae est *sancta sanctitate morum, & doctrinae*, quae est *universalis universalitate temporum, & locorum*, quae est *Apostolica* ab ipso Dei Patris omnipotentis Filio plenipotentiario fundata, atque in Apostolorum successoribus sine interruptione, & sine diminutione est propagata, & conservata, talis, & tanta auctoritas est *una & sola vera*, est *una & sola legitima auctoritas*; haec autem est ipsissima *auctoritas Catholica*: Ergo .. quid ergo? Materialista intentus ausculta! Ergo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo: ergo non solus homo, sed etiam ipse Deus dicit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quid requiras amplius? *

Hominem ad Imaginem Dei Immortalis factum confitetur natura universa.

VIII Argumentum illud ipsum tot testibus, quotquot in materno suo sinu portat creaturas, attestatur natura universa, & quod Creator Deus adorando suo testimonio: *Faciamus hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram*, adiungit: *& praesit piscibus maris, & volatilibus Coeli, & bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra*, quam exacte ad praesentis horae minutum observatum, sancteque custoditum fuerit, omnium incolarum terrae oculis evidenter demonstratum cupit, dum in augusto mundi huius palatio soli homini, ceu suo praeeminenti Domino, per reliquas creaturas tum ser-

* Qui unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam auctoritatem contemnis, aut saltem eiusdem testimonio non credis, edicito, perdilecte, *fundatam Rationem*, propter quam eamdem tuo contemtu dignam, illiusque testimonium tua fide indignum putes. An non eousque ista auctoritas omni exceptione est maior, ut in hac divina providentia *melior*, nec *cogitari*, aut *desiderari* possit? Quis hominum, Daemonumque sanctam istam auctoritatem arguet de peccato? Progredere si tu id ipsum praestare, eamque de ullo crimine falsi convincere possis? At tu id facere nequis, qua igitur *Ratione* huic amplissimae auctoritati non consentis, sed contumaciter contradicis? Nescis, quod haec ipsa auctoritas *os* Dei sit, quo mediante suum verbum, quod salvificae fidei est fundamentum, universo mundo tradit? Revolve inferius *n.* CLXXVIII, *& seq.* ubi hanc ipsam auctoritatem in doctrina fidei, morumque *infallibilem* esse, palam demonstratum reperies.

vitium tum oblectamentum diu, noctuque praestare intendit. Cumque homo habeat *esse* cum lapidibus, vegetare cum plantis, & sentire cum animalibus, solum tamen hominem secundum intelligere, & velle, quod cum ipsis Angelis commune habet, ad imaginem Dei Immortalis conditum esse manifestat, dum esse in lapidibus, vegetare in plantis, & sentire in animalibus non Dei imaginem, sed eiusdem quoddam vestigium designat. Trium igitur testium Dei scilicet, & hominum, totiusque naturae irrefragabili auctoritate, hominem ad imaginem Dei esse factum, sapienter firmatum luculenter conspicimus.

Homo ad Imaginem Dei Immortalis etiam secundum repraesentationem trium Personarum est factus.

IX Creavit autem Deus hominem *ad Imaginem*, quia non est Deo perfecte similis, sicut Unigenitus est imago sui Patris, qui ideo non est *ad imaginem*, sed *perfecta Imago Patris*; quidquid enim habet Pater, id totum per naturam habet filius; homo autem ea, quae deitatis sunt, habet per participationem & imitationem, sicut enim imago solis in speculo cernitur, ita in ipsa hominis ratione tamquam in sua imagine Deus conspicitur, secundum ipsius Dei, & Davidis testimonium: *signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Porro quia Deus non dicit ad Imaginem *meam*, sed *nostram*, aperte insinuat, quod Sanctus Thomas eleganter declarat*: *Manifestum est*, inquit, *quod distinctio divinarum Personarum est, secundum quod divinae naturae competit, unde esse ad imaginem Dei secundum imitationem divinae naturae, non excludit hoc, quod est esse ad imaginem Dei secundum repraesentationem trium Personarum, sed magis unum ad alterum sequitur. Sic igitur dicendum est in homine esse imaginem Dei, & quantum ad naturam divinam, & quantum ad Trinitatem Personarum; nam & in ipso Deo in tribus Personis una exsistit natura.* Ita S. Doctor. Profecto artefactum pernobile unius Dei, & Trini Imago, & expressio Dei vivi, & veri.

X Doctori Angelico consentit doctor Mellifluus D. Bernardus, *serm. de Trinitate*. Est Trinitas, inquit, a qua homo cecidit, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Est Trinitas, quae cecidit, intellectus, memoria, voluntas. Et est Trinitas, per quam Trinitas cadens resurgit ad Trinitatem, de qua cecidit, scilicet fides, spes, charitas. Etenim in homine residet imago Trinitatis, in una anima, & tribus animae potentiis, intellectu, voluntate, memoria. Haec est Trinitas creata, quae non habet quietem, donec iungatur Trinitati increatae in beatitudine. Non quiescet haec imago, donec exemplari suo tunc perfecte uniatur, quando tres illae animae potentiae satiabuntur, intellectus visione Dei,

* 1 p. q. 93 a 5.

voluntas fruitione, memoria aeternitatis continuatione. Sed antequam ad id perveniat, tria ei vulnera sananda sunt, quae contraxit per peccatum, recedens a Trinitate. Recedens enim a Patre, cuius est omnipotentia, contraxit infirmitatem: recedens a Filio, cuius est sapientia, contraxit ignorantiam: recedens a Spiritu sancto, qui est bonitas, contraxit malitiam. Per haec tria vulnera tribus Trinitatis hostibus succumbit, carni per infirmitatem, mundo per ignorantiam, daemoni per malitiam. Sed adversus tria haec, aliam ei Deus exhibuit trinitatem auxiliatricem, tria scilicet dona, fidem, spem, & charitatem: fidem, ut illuminetur contra ignorantiam, & vincat mundum: spem, ut roboretur contra infirmitatem, & debellet carnem: charitatem, qua omnis malitia expellatur, & superet diabolum. Ita D. Bernardus, & cum eo plenus omnium SS. Patrum Chorus, nec non innumerabilis Theologorum Exercitus adeo terribilis, quantum insuperabilis.

Anima rationalis est substantia quaedam Rationis particeps regendo corpori accommodata.

XI Animam rationalem in hoc mundo ceu in augustali suo ornatissimo, in quo omnes creaturae praestant famulitium, *Reginam* appellat Gregorius Nyssenus, cui, inquit, pro purpura data est virtus, pro sceptro immortalis felicitas, pro regio diademate iustitiae cidaris, ut sic ad divini exemplaris imaginem picta, non fuco, sed veritate fulgeret, nec arte expressa, sed gratia, superiorum esset figura, ac inferiorum exemplar: verus horizon aeternitatis & temporis; atque intelligibilis, corporeaeque naturae nexus & confinium. Nobilissimae creaturae istius essentiam definit Doctor Seraphicus D. Bonaventura ex libro de spiritu, & anima, quem ipse adscribit Augustino c. 6 *Anima, sive animus rationalis est substantia quaedam rationis particeps, regendo corpori accommodata*. Definitio haec iisdem propemodum verbis reperitur apud D. Bernardum de vita solitaria post medium: *Anima est res incorporea, rationis capax, vivificando corpori accommodata*. Definitio isthaec praeferenda videtur ceteris, eo quod differentiam essentialem animae rationalis, quae in *Rationis capacitate* consistit, clarius describit. Dicitur *substantia*, quo nomine convenit cum omni substantia creata: *incorporea*, quo exclusae manent omnes substantiae corporales: *rationis particeps*, quo removentur cuncta, quae ratione carent. Additur *regendo corpori accommodata*, ut differat ab angelica natura, non tamen ab anima separata; cum haec aptitudinem ad informandum corpus, & vivificandum semper retineat. Ut autem eximius, quem definitionis animae littera tibi significat, Spiritus, te vivificet fortius, remota littera, ceu mortis umbra, merito inquiritur.

Quid sit Ratio, in cuius capacitate anima rationalis constituitur.

XII Liceat per te, amice Lector, intimius, altiusque inquirere: quae, & qualis illa *Ratio sit*, in cuius capacitate essentia animae rationalis, & cuiusvis mentis creatae constituitur. Explica te: Quid est *Ratio*? Quid sub isto nomine, *Ratio*, cuius usitatissima tibi, aliisque est notio, indicatur? An *Ratio*, cuius in sua definitione anima rationalis capax dicitur, est aliquid reale vel fictum, aliquid creatum vel increatum, aliquid pure finitum vel infinitum, aliquid mere temporale, vel aeternum, aliquid mutabile vel immutabile? O! si quis, suspirat quispiam, rationem probe intelligeret, mentis suae quasi infinitam dignitatem facile aestimaret. Quid ergo est *Ratio*? Audi amice, quod forsan vix unquam legisti, aut nunquam audisti, quia id ipsum altum est mysterium plurimis tum libris, tum lectoribus hucusque absconditum. *Ratio*, cuius passiva capacitas animam rationalem ab ente irrationali discernit, quamvis proxime & immediate ac in recto aliquid reale significetur, nimirum ipsa subiectiva ratio creata, quae in tua est anima, neque ab intellectu realiter distincta; ultimate tamen & in obliquo aliquid reale, increatum, infinitum, aeternum, & immutabile, imo ipsum Ens entium Deus, sive ipsa Ratio obiectiva, Increata & aeterna importatur . . . En grande mysterium, tua reflexione, & attentione dignissimum!

XIII Inter rationem hanc *subiectivam*, sic dictam, quia Rationi aeternae & obiectivae subiicitur, & inter Rationem *obiectivam*, sic dictam, quia rationi subiectivae obiicitur, intercedit ingens differentia; nam subiectiva ratio est ipsa mens, ipse intellectus noster, quo tamquam principio activo & interno ratiocinamur. Obiectiva vero Ratio est id, quod mentem movet ad ratiocinandum, seu est illa aeterna veritas, illud aeternum verum, quod anima Rationalis ratiocinando intuetur. Toto Caelo Ratio haec obiectiva a subiectiva distat: etenim subiectiva ratio est quid in tempore creatum, proinde iuxta numerum subiectorum intelligibilium, hominum, & angelorum multiplicatum, simulque ad certum locum, & tempus saltem definitive alligatum, sive ut actu existat tota in toto, & tota in qualibet illius spatii parte. Ratio vero obiectiva, quae ut anima Rationalis ratiocinari possit, ante intellectum seu rationem subiectivam necessario obversari debet, una eademque est respectu omnium angelorum hominumque: nec ulli loco aut tempori, nec aliis finitis limitationibus alligatur, vel definitur, sed semper & ubique, hic & ibi, hodie, cras & heri, respectu tui ac mei, omniumque, qui illius capaces sunt, eadem prorsus est, & una manet immutabilis.

XIV Incumbendum igitur est, magni Augustini sunt verba, omnibus ratiocinandi viribus, ut clare, *Quid sit Ratio*, & quoties definiri possit, perspiciatur. Et mox sanctus Doctor, &

Pater subiungit.* *Ratio est aspectus animi, quo per se ipsum, non per corpus, verum intuetur*: aut *ipsa veri contemplatio*, quae est ratio subiectiva: *aut ipsum verum quod contemplatur*, & dicitur Ratio obiectiva. Si quaeras ex D. Augustino, *quid illud verum* sit, quod animam nostram ad ratiocinandum impellit? Respondet idem Vir Dei in eodem capite: *Verum illud, quod Ratio dicitur, nihil habet commutabile*. Igitur *verum*, quod mens nostra contemplatur, & hanc ad ratiocinandum obiective movet, iuxta doctrinam Augustini vocatur *Ratio*, estque illud immutabile, & hoc ipso realiter non aliud quid, quam ipsamet immutabilis essentia Dei, & *appropriate* loquendo ipsum aeternum, ac immutabile Dei Verbum, & *Vera Illa Lux, quae illuminat* omnem hominem venientem in hunc mundum **. Edicito Benevole, an non praegrande id sit Mysterium? Ut autem hoc ipsum intra te clarescat mirabilius, expositionem sequentis tituli perpendas attentius.

Aeterna Ratio obiectiva est Verbum, quod in Deo tribus Personis commune appropriatur Christo.

XV Divo Augustino consentit Divus Hieronymus in epistola ad Paulinum in haec S. verba scribens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Logos*, inquit, *graece multa significat: nam & verbum est, & Ratio, & supputatio, & causa unica cuiusque rei, per quam sunt singula, quae subsistunt, quae universa recte intelligimus in Christo*. Ergo iuxta Hieronymum Christus sicut est *Verbum*, ita etiam est *Ratio*. Est autem *Verbum Dei* duplex apud Cornelium a Lapide in eadem Evangelii Ioannis verba. Post S. Thomam I d. XXVII q. II a. II & alios, unum *essentiale*, quod *dicitur Verbo*, & est ipsa intellectio Patris, quam cum essentia, intellectu, & voluntate communicat Filio, & Spiritui Sancto. Alterum *notionale*, quod *dicitur Verbum* a Patre, & est Persona subsistens, nimirum Filius, de quo hic loquitur Ioannes. De Ratione *Verbi* autem est primo, ut sit *expressum*, & realiter distinctum ab eo, qui *Verbum dicit*. Secundo, ut sit *manifestatio* eorum, quae a loquente dicuntur. Verbum quod Deus Pater per intellectionem, seu dictionem producit, clarissime repraesentat, & manifestat omnia, quaecunque in intellectu Patris sunt, quod eleganter declarat Augustinus lib. VI de fide. *Verbum Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater; Sicut ergo verbis nostris id agimus, ut noster animus innotescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus, per signa huiusmodi scilicet per verba ad alterius cognitionem profertur; sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit signis secretissimis Pa-*

* *S. August. c. VI de immortalitate animae*. ** *Ioannis I.*

ter, *Verbum eius convenienter nominatur*.

XVI Cum igitur *Verbum* Dei Patris sit clarissima *manifestatio* totius Divinitatis Patris, omniumque eorum, quae immensa scientia Patris attinguntur, cuiusmodi infinitarum rerum possibilium, & actualium infinitae *Rationes* sunt; ideo idem ipsum *Verbum* est *manifestatio* omnis Entitatis, omnis Veritatis, & omnis Bonitatis actu existentis, & in infinitum possibilis. Propterea idem *Verbum* per hanc omnis Entitatis, Veritatis, & Bonitatis rerum omnium actualium, & possibilium *manifestationem* ab aeterno constitutum est *prima Ratio*, *prima Idea*, *primumque Exemplar* rerum omnium, atque hoc ipso & *Lux*, & *Vita mentium* angelorumque, hominumque, omnes & singulos eorum revelatione veritatis, bonitatisque eousque illuminando, ac vivificando, ut rerum omnium *Rationes aeternas* simpliciter percipiant, perceptas infallibiliter discutiant, discussasque immutabili demonstrationis illatione ostendant, atque cognoscant. Illa enim est *prima* & essentialis rerum omnium & cuiuslibet entis *Ratio*, quam *primum* intelligens (Deus omniscius) *primo* concipit, intelligit, & *Verbo*, quod intellectu suo continuo *dicit*, distincte exprimit; neque enim *primum intelligens*, *Deus*, aliunde, aut a rebus *Veritates*, aut *Rationes* accipit; sed potius per suum *primum* & immutabile intelligere ex sese easdem producit.

XVII Verbum igitur Divinum ratione huius virtutis expressivae est illa *Ratio obiectiva*, cuius mens rationalis capax dicitur, eidemque percipienti, iudicanti, & ratiocinanti obiicitur. Haec autem virtus rerum omnium expressiva *Verbo* non ratione personalitatis, sed ratione Divinae essentiae, & *intellectionis primae*, quae ceu *Verbum essentiale* tribus Personis Divinis commune dicitur, convenit; Pater enim cum sua essentia, & cum suo intellectu, & voluntate, sicut suam volitionem, ita etiam suam *intellectionem* essentialem, ceu *Verbum essentiale*, respectu *Verbi notionalis* minus proprie sic dictum, suo Filio, & Spiritui Sancto communicat. Attribuitur autem aliquod praedicatum, seu nomen, vel effectus tribus Personis communis uni, vel alteri Personae per *appropriationem*, ob specialem, quam habet, cum quadam Persona huiusque origine convenientiam, sic quamvis Potentia toti Trinitati aeque conveniat, specialiter tamen Patri tribuitur, quia ipse est primum principium tam intra quam ad extra rerum omnium; similiter *Sapientia*, & *veritas* appropriatur Filio, quia sicut *Sapientia*, & *Veritas*, ita & Ipse procedit per intellectum. Propterea *aeterna Ratio obiectiva* attribuenda est *Verbo notionali*, seu *Personae Verbi*; quia sicut *aeterna Ratio obiectiva* oritur per intellectum Patri, Filio, & Spiritui Sancto communem tanquam *Verbum essentiale*, quod idem est cum intellectu, a quo procedit; ita quoque *Verbum notionale*, quod Christus est, procedit ab intellectu Patris, a quo distinctum est.

Apta appropriatio, quia optima proportio . . .

Anima rationalis nonnisi secundum Rationem obiectivam rationabiliter operatur.

XVIII Sciendum autem nomine *Rationis obiectivae* hic non venire ipsam nudam gratiae illustrationem, quam soli Deo attribuendam esse, vel ipsis parvulis notum esse oportet, sicut neque ipsam supernaturalem doctrinam fidei, aut externam instructionem S. Ecclesiae, quibus per hoc nec in minimo praeiudicatur; loquitur enim Deus nobis per homines & praecipue per praeceptivam & decisivam Ecclesiae vocem, quae non est aliud, nisi ipsiusmet Dei verbum de Spiritu veritatis conceptum; sed nomine *Rationis obiectivae* intelligitur illuminatio naturalis & mentis nostrae *naturale Magisterium internum*, quod nimirum menti nostrae in tempore creatae *Ipse Aeternus Intelligentiae Sol*, Deus, eiusque indeficiens ac inextinguibile veritatis lumen, naturaliter fulgeat, & quidem ante omne rationis argumentum, suo naturali fulgore, ceu rutilans aurora, eandem ad agendum ex ratione obiective promoveat.

XIX Quoties nimirum mens nostra *rationabiliter*, idest *ex ratione* operatur, advertenti, ac se reflectenti aliquo modo experimentaliter coniunctum est & unitum ipsum Numen aeternum, ipsum Infinitum, & Incommutabile *Ens entium* *, seu Ipsa Dei Sapientia, Ipsa Prima Veritas, & Summa Bonitas, seu *appropriate* loquendo, ipsum Verbum Christus Iesus, veluti Lux, Regula & Mensura omnia & singula ex Ratione & rationabiliter intelligendi, & amandi, aut quomodolibet intellectualiter, rationabiliterque operandi, ac vivendi; ita ut ad quamcumque *simplicem rei perceptionem*, ad quamcumque *infallibilem enunciationem*, atque *immutabilem illationem sive argumentationem*, item ad quemcumque *amorem rationalem* ipse Deus, vel aliquod illius intrinsecum verum attributum menti nostrae sic operanti, si non clare, saltem temperate praelucere debeat, veluti Ratio formalis talis operationis, qua ceu veste omne obiectum incurrens in mentem nostram necessario induendum est ad hoc, ut a potentia intellectiva percipi possit, quae, quidquid intelligit, etiam ipsa corporalia seu materialia sub Ratione formali *veri*, quod spirituale est, sicut voluntas omnia sub Ratione *boni* attingit: utinam semper sub ratione boni veri & veri boni! . . .

Mentis nostrae lux naturalis est Deus, sicut lux mundi est sol corporeus.

XX Clarius idipsum Lectori benevolo analogia solis & oculi corporei explicat. Nulli non est notum, ocu-

* Experimentum istius eximiae veritatis plane palpabile exponitur infra num. XXXVII, ubi ens imperfectum, nisi praecognoscatur Ens perfectissimum, nequaquam concipi posse, clare exhibetur.

lum carnis, ad hoc ut videat, neceſſario indigere externa luce ut ſolari, nimirum corporeus ſol mediante ſua luce & radiis ſolaribus obiectis viſibilibus incidens v. g. coloribus, eoſdem prius ſolum potentia, nunc actu viſibiles faciat atque potentes, ut ſpecies producere, ad oculum tranſmittere, & eundem ad viſionem eliciendam permovere valeant; ita ſimiliter oculus mentis, *Ratio* noſtra *ſubiectiva*, ad hoc, ut videat mentaliter, indiget ſuo externo ſole, ſua externa luce. Hic ſol & lux externa mentis noſtrae obiectiva eſt ipſe Deus, idem proportionaliter conferens ac praeſtans oculo mentis, quod ſol corporeus confert & praeſtat oculo carnis. Hic *Sol Intelligentiae* * Deus, mediante ſuo aeterno lumine, ac radiis veritatis, intelligibilibus obiectis & operaturae menti ſuperveniens, illa ex ratione intelligibilia facit, & hanc ad operandum, & intellectualem viſionem eliciendam ſtimulat, & quaſi lucernam ad operandum accendit: non ceu ſubiectiva ſpecies, ſed ut *obiectiva Ratio*, veritas, & operationis menſura; ita ut omnes Rationes, & omnes aeternae Veritates ſint quaſi radii huius fulgentiſſimi *Solis Intelligentiae*, ſive Dei, idem tribuentes oculo mentis, quod radii ſenſibiles tribuunt oculo corporis.

XXI Porro ſicut radii ſolares in praedicta analogia, & ipſa viſio corporea ex impulſu dictorum radiorum elicita vere ac motive & eſſentialiter dependet ab ipſo ſole corporeo; ita etiam tres mentis operationes, nimirum *perceptio*, *enunciatio*, & *illatio*, praeter effectivam dependentiam ab ipſa mente tanquam a principio vitali coniuncto, & a Deo tanquam a cauſa prima & univerſali, etiam ſpecialiter dependent a Deo, & eius aeterno lumine, tanquam a ſpirituali ſuo ſole, ſeu ratione, exterius quidem, ſed tamen eſſentialiter movente, ſive eſſentialiter neceſſaria ad movendum. Et ſicut nos ſenſibiliter experimur, dum nos ſuper ſolis radios & viſionem noſtram reflectimus, quod eadem viſio vere a lumine ſolis pendeat, & ſuo modo ab eo cauſetur: ita pariter ſiquis, ſe ſuper actus men-

* *Sap. V v. VI. Scripſit de hoc Sole Intelligentiae A. R. P. Iuvenalis Ananienſis Capuccinus Provinciae Tyrolenſis quater Miniſter Provincialis, vir ob eximiam ſuam virtutem, & ſcientiam aeterna memoria dignus, integrum iuſtae magnitudinis librum, cui & titulum affixit:* Sol intelligentiae, *opus plane aureum, & iis maxime proficuum, qui ea, quae Spiritus Dei ſunt, intimius noſſe cupiunt. At pretioſus hic ſcientiae theſaurus iacet abſconditus, & prope a cunctis vel ideo derelictus, quia eiuſdem ſenſus, ut dicitur, nimis altus, & myſticus, quod tamen falſiſſimum mendacis angeli commentum eſſe vel ex hoc evidenter conſtat, quia totus liber non de ſupernaturali, ſed de pure naturali illuminatione, qua ſol intelligentiae omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, per totum tractat. Hunc intelligentiae ſolem praedictus vir profunde doctus, & illuminatus ſtylo Theologico appropriat Chriſto crucifixo, cuius imaginem libri praeponit fronti. An vero dignum, iuſtumve ſit, ut haec nobiliſſima lux in tenebris luceat, & tenebrae eam non comprehendant? Qui vult, quia omnes poſſunt capere, capiat.*

tis suae reflectat, etiam mentaliter experiri *, & advertere valet, quod actus mentis penduli sint, ac vere pendeant ab aliquo principio aeterno, sive Deo, adeoque homo intelligibiliter observare potest, quod scriptum est act. XVII v. XXVIII *in Deo se vivere*, *& moveri*, *& esse*.

XXII Ex allata Solis similitudine mundi istius *materialis* cum SOLE Mundi *Spiritualis* pariter constat, quod monitor, qui alterum solummodo admonet, ut oculos ad Solis lumen convertat, neutiquam illius oculos vere illuminat, sed ipse Sol unus & solus eosdem illustrat; ita similiter Magister quicunque externus, aut doctor creatus suis verbis, scriptisve discipulum instruit, intellectum discipuli veritatis manifestatione nequaquam informat, neque interno magisterio, sed pure externo eundem edocet, ut *aspectum suae mentis*, qui in discipulo *subiectiva Ratio* est, ad Intelligentiae Solem, seu ad lumen aeternae Rationis obiectivae (n. XIII & XIV) convertat. Unde quod intus in mente & ratione discipuli fit, id totum Ipsa *Ratio aeterna obiectiva*, quae Deus ipse est, appropriate Christus, interno suo Magisterio perficit tam potenter, quam incessanter.

XXIII Analogiam hanc luminis, visusque corporei ad lumen visumque intellectualem ipsi antiqui Philosophi, & cum his S. Thomas & D. Augustinus unanimiter approbant. Aristoteles ** Intellectum agentem, qui nimirum phantasmata materialia illustrando, eadem intelligibilia actu facit abstrahendo a materialibus, comparat *lumini*, eo quod intellectus agens aliquid receptum sit in anima, sicut lumen aliquid receptum est in aëre, quo, sicut aër a lumine, anima illuminatur. Plato autem intellectum separatum, imprimentem & influentem in animas nostras, ut Temistius refert in comment. lib. III de anima. Comparat *Soli*, qui intellectus separatus idem sit animae intelligenti, quod est Sol homini videnti. Doctor Angelicus hunc ipsum Intellectum separatum, quem Plato *Soli* comparat, pro suo charactere Angelice declarat: *Intellectus separatus*, inquit, *secundum FIDEI NOSTRAE DOCUMENTA EST IPSE DEUS*, *qui est Creator animae*, *& in quo solo beatificatur*: *unde ab Ipso anima humana lumen intellectuale participat*, *secundum illud psalm.* IV *signatum est super nos lumen vultus tui*, *Domine*. Ita S. Doctor in suo opere plane Ange-

* Ut idipsum, quantum actus mentis a Deo ceu interno magistro dependeant, mentaliter experiaris, de actu *perceptionis simplicis* vide infr. n. XXXVII, XXXVIII, & XXXIX de actu *Iudicii* lege secundam, & de actu *illationis* perlege tertiam huius opusculi partem, & non tantum experimentaliter senties, sed etiam vehementer obstupesces trium istorum actuum mentis nostrae ab aeterna Ratione obiectiva, ceu ex immensa luce, manifestam, summeque necessariam dependentiam.

** Lib. III de anima tex. XVIII, tom. II.

lico, cui titulus, *Summa Theologica* *, communiter *Summa Angelica* dicta, apud omnes in Ecclesia Catholica pro merito suo aestimatissima. Et in quaestione unica de spiritualibus creaturis art. X ubi modum, quo Deus & intellectus Creatus agens concurrit ad efficiendam rerum intelligibilitatem, ostendit, ita loquitur. Id, quod facit in nobis intelligibilia actu per modum *luminis participati*, est aliquid animae, & multiplicatur secundum multitudinem animarum & hominum. Illud vero, quod facit intelligibilia per modum *Solis illuminantis*, *est unum separatum*, *quod est Deus*, unde Augustinus dicit in VII soliloq. *Promittis Ratio, se demonstraturam Deum menti meae, ut oculis Sol demonstratur*; *nam mentis quasi oculi sunt sensus animae*: *Disciplinarum autem quaeque certissima talia sunt*, *qualia illa*, *quae Sole illustrantur*, *ut videri possint*; *Deus autem est ipse*, *qui illustrat*. Ita duo Sancti Doctores Augustinus & Thomas. Ergo Veritas ista *Fidei* quoque *Divinae* Documentum est? **

Intellectus humanus est potentia cognoscitiva entis, ut ens est.

XXIV Definitur autem intellectus humanus, qui realiter idem ac Ratio est: *Spiritualis potentia seu facultas proxime elicitiva actionum seu operationum spiritualium ad cognoscendum omne verum*: aut brevius: *Intellectus est potentia cognoscitiva entis*, *ut ens est*. Nomen *intellectus* importat quandam intimam cognitionem; dicitur enim intelligere, quasi *intus legere*. Ad cuius evidentiam consideranda est differentia *intellectum* inter & *sensum*. Cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; est enim *sensus quaedam potentia passiva*, *quae nata est immutari ab exteriori sensibili*, prout definit Divus Thomas***. Exterius autem immutativum est, quod per se a sensu percipitur, & secundum cuius diversitatem sensitivae potentiae distinguuntur. Duplex autem est immutatio, una *naturalis*, *spiritualis* altera: naturalis dicitur, secundum quod forma immutantis recipitur in subiecto immutato

* S. Thomas I p. q. LXXIX a. IV.

** Fidei autem Divinae documentum est, quod Fides Divina, Fides una, Fides Sancta, Fides Catholica, & Apostolica suos fideles omnes docet, atque idipsum tanta certitudine docet, ut de eadem nulli eorum omnium aut ullum dubium, aut dissensum admittere sit concessum, secundum unius, Sanctae, Catholicae, & Apostolicae auctoritatis irrefragabile testimonium. Cur igitur hodierni eruditi, critici Philosophi immensae, ac infallibili non acquiescunt auctoritati, quae ante signatum Fidei attestatur documentum? ... Plures eorum idipsum, aut omnino nesciunt, aut si sciunt, quia non libet, credere nolunt. . . . Sine fide fideles!

*** S. Thomas I p. q. LXXVIII a 3.

secundum *esse naturale*, sicut calor in calefacto; hinc manus frigida fit calida. Spiritualis immutatio attenditur, secundum quod forma immutantis recipitur in immutato secundum *esse spirituale*, ut forma coloris in pupilla, quae per hoc non fit colorata. Attentus id legat Materialista, quia ruditer hic delineatur, quid entis sit *spiritus*. Ne autem *littera* haec, *esse spirituale*, quod Materialista sensibus corporeis, atque obiectis materialibus in hac pagina adscriptum cernit, minus cautum derepente *occidat*, quasi sana quoque Philosophia *esse* quodpiam *spirituale* tribueret *materiae*; eidem Materialistae solerter addiscendum, praedictam *immutationem spiritualem* in sensu materiali, sicut & in obiecto corporeo *esse spirituale*, nonnisi *imitative* fieri; veluti enim simia hominem, imitatur *sensus* corporeus conditionem *spiritus*. Unde ipse visus, quia formam omnis coloris e. g. nigri, flavi, albi &c. quin aut niger, flavus, aut albus fiat, intra se recipit, inter reliquos sensus laudatur perfectior, & *imitative spiritualior* commendatur.

XXV Cum vero cuiusvis facultatis seu potentiae natura ex proprio actu, a quo speciem accipit, innotescat; tunc germanam sensus in genere notitiam habebimus, si perspecta nobis sit actio cuivis sensui propria, nempe cognitio sensitiva: *Est autem cognitio in communi, qua vivens se ipsum, & ea, quae in se sunt, percipit*. Definitio haec sinceram cognitionis notitiam in se continet. Inde sequitur, quamlibet cognitionem, quae alias etiam assimilatio formalis potentiae cum obiecto dicitur, in ipso cognoscente concludi, nec externa cognosci, nisi quatenus sunt in cognoscente: etenim actio cognoscitiva non est *actio transiens*, ac velut diffusio & eruptio perfectionis internae ad immutanda externa, quae quidem ab agente progreditur, attamen in passo externo, ut illud immutet, recipiatur; sed est *actio immanens*, idest *intus manens*, seu vigor intraneus, ac perfectio in vivente subiectata, proindeque illi commensurata.

Quomodo anima cognoscendo fiat omnia.

XXVI Sicut autem obiecta externa cognosci nequeunt, nisi sint in cognoscente, sic nec in cognoscente esse poterunt, nisi per aliquam sui formam; nihil enim est, aut constituitur in quovis genere sine causa formali essendi; forma quippe est, quae dat *esse*, seu qua res *in esse* constituitur velut actu formali essendi; adeoque necesse est, ut forma obiecti externi cogniti sit in cognoscente; forma, inquam, non illa ipsa naturalis, quae est in obiecto; haec enim obiectum deserere nequit, quod per se patet, sed alia, eius nimirum vicaria & repraesentativa, quam *speciei intentionalis*, seu *ideae* nomine intelligimus, necessaria ad hoc, ut obiectum externum & distans fiat praesens in cognoscente, cuius cognitio extra ipsum cognoscens non fertur.

Dicuntur *species intentionales*, eo quod per eas moveantur sensus & intellectus, ut rebus intendant sentiendo & intelligendo. Ex quo facile intelliges illud, quod fors usque huc capere vix potuisti, Philosophorum oraculum: *Anima cognoscendo fit omnia, & cognoscens cum obiecto cognito est idem*. Nam ea cognoscentis natura est, ut quamvis proprium *esse* non exuat, formas tamen alienas proprio sibi quodam modo induere valeat; atque sic transformari in alia: quo fit, ut vivaci illa facultate, qua percipit seipsum, alia itidem percipere valeat, in quae vicaria specie transformatur. Hinc colliges, duos esse cuiuslibet rei status, *naturalem* unum, *intentionalem* alterum. Idipsum enim, quod res *naturaliter* in se ipsis sunt, *intentionaliter* itidem sunt in cognoscente.

XXVII Quia igitur perspecta sensuum notitia plurimum conducit ad intelligentiam rationis & intellectus; ideo ulterius inquirendum, quod sit sensuum obiectum; ad quod respondetur: *Obiectum sensus externi est sensibile singulare, praesens, localiter extensum, in debita distantia.* Dicitur *sensibile singulare*, quia universalia non cadunt sub sensus, sed solum sub intellectum; hinc axioma est, *sensum esse singularium, intellectum vero universalium*: (*vide n.* XXXII.) Additur *singulare praesens*, quia sensus externi non sunt circa res absentes; non enim earum species permanenter conservant, ut sensus interni e. g. phantasia, imaginatio, sed extemporaneam & ab obiecti praesentia pendentem impressionem recipiunt. Dicitur *localiter extensum*, quia res debet esse in loco, ut sit sensibilis; inde Corpus Christi in Eucharistia non sentitur, quia non est ibi ut in loco.

XXVIII Additur demum *in debita distantia*, quia res nimium remotae non sentiuntur, ut odores, sapores, & soni a nobis remotissimi; actio enim *intentionalis* dependet a loco & quantitate; sicut & omnis actio corporis; unde quanto magis recedit a suo principio, tanto magis debilitatur, donec tandem penitus deficiat. Si forsan Lectori amico insurgat quaestio, cur adeo multum hic de sensu dicatur? Responsum dabit fructuosa utilitas, & notitia rationis humanae, maxime quia sensibile & materiale ab intelligibili & spirituali per hoc adeo aperte discernitur, ut a quolibet idipsum palpari possit: ne dicam, quod per hoc solum, relictis innumeris aliis argumentis, *materialismus*, quem Philosophi huius seculi ceu idolum defendunt, penitus destruatur. Ipsa experientia erit veritatis istius magistra optima & veridica.

Cognitio intellectiva est vitalis imago obiecti cogniti.

XXIX Quemadmodum cognitio sensitiva nobis demonstrat constitutionem sensus, sic & cognitio intellectiva notificat essentiam nostri intellectus. Cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad *essentiam* rei; obiectum enim

intellectus est, *quod quid est*, ut dicitur l. III de anima tex. XXVI tom. II. Sunt autem multa genera eorum, quae interius latent, ad quae oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare; nam sub accidentibus latet natura rei substantialis, sub verbis latent significata verborum, sub similitudinibus, & figuris latet veritas figurata: pariter in causis latent effectus, & e converso. Sumitur ergo nomen *intellectus* ab intima penetratione veritatis; de quo hortatur ipsa Veritas Ioan. VII. *Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate*.

XXX Actus vero intellectus, qui dicitur etiam opus, seu operatio mentis, in genere *est actualis formalis imago vitaliter repraesentativa obiecti cogniti*, seu *vitalis imago, ac repraesentatio illius, quod cognoscitur*. Quod intellectui repraesentatur, & ab illo cognoscitur, dicitur *obiectum*, & ipsa cognitio est actus mentis seu operatio. Exemplum sensibile habes in oculo: Species colorata e. g. Crucifixi est obiectum tui oculi, ipse autem aspectus, quem oculus circa obiectum Crucifixum exercet, est operatio, sive actus oculi. Similiter quando de Deo v. g. aliquid cogitas, Deus est *obiectum* tuae cogitationis, ipsa vero cognitio, vel intellectio est tuae mentis operatio. Contingit autem cognitio, secundum quod cognitum est in cognoscente; cognitum autem, seu obiectum, quod cognoscitur, est in cognoscente secundum modum cognoscentis, unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet, quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Qualia sunt respectu intellectus creati supernaturalia divinae fidei mysteria, quae vel ideo *naturaliter* cognosci nequaquam possunt, quia totam naturam virtutis cognoscitivae, tum angelicae, tum humanae, omnino transcendunt. Ubi plurimorum haereticorum turpem deprehendes errorem, qui nihil eorum, quae sua naturali ratione comprehendere non possunt, in fidei obsequium simpliciter credere volunt.

Dantur rationes, seu ideae rerum omnium.

XXXI Duplex rerum omnium discernitur genus, *Materiale* unum, *Spirituale* alterum. Quidquid enim in universa rerum natura existit, aut existere potest, vel *ens est materiale*, aut *ens spirituale*. Quapropter haec entium duo diversissima genera duplicem veluti mundum constituunt: genus *materialis entis*, cuiusmodi universa corpora sunt, *materialem* mundum componit, genus autem *entis spiritualis*, quantum est Deus T. O. M. omnisque Angelicus, & humanus spiritus, mundum spiritualem constituit. Ad mundum materialem pertinent cuiuscunque animalis sensus externi, *visus*, *auditus*, *odoratus*, *gustus*, & *tactus*, item sensus interni, *sensus communis*, *phantasia*, *seu ima-*

ginatio, horumque sensuum *sensationes*, *perceptiones*, *cognitiones*, omnes *formae*, *species*, & *ideae sensitivae*, quibus animal vitam sensitivam, seu sensualem vivit; haec enim cuncta *materialia*, nequaquam autem *spiritualia* * sunt entia. (*Vide supra n.* XXIV, XXV, XXVI, & XXVII.)

XXXII Ad *spiritualem* vero mundum spectat solum *intelligere* & *velle Divinum*, totum *Angelicum*, totumque *humanum*: huc spectant Dei, Angelorum, hominumque omnes perceptiones, enunciationes, omnesque ratiocinationes: pariter omnes spirituales formae, species, ideae, repraesentationes, imagines & *Rationes* **, quibus universum mundum materialem & spiritualem, & omnia, quae in istis sunt, percipiunt, diiudicant, atque demonstrant. In hoc mundo spirituali Intelligentiae SOL Mentes Angelorum, hominumque omnium, veluti totidem amplissimi Regni Provincias, manifestando quantum sua ex parte est, rerum omnium *Rationes*, infallibiles de rebus omnibus *Enunciationes*, rerumque omnium immutabiles *Demonstrationes*, infinito quasi splendore illustrat, sicut hunc mundum materialem Sol corporeus manifestando diversos corporum colo-

* Scitu profecto dignum est, quod Philosophus lib II de anima cap. XII tradit, ubi ait: hoc autem universaliter de omni sensu accipere oportet; sensum inquam, id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest, perinde annuli signum sine ferro vel auro suscipit cera. Haec ille. In hoc igitur sensu *species impressae sensibiles* dicuntur formae sine materia, non quidem quasi *entia materialia* non essent, cum omnes species sensibiles sint *in fieri*, *in esse*, & *in operari* a corpore dependentes, sed quod solam obiectorum sensibilium *formam*, non item eorundem materiam contineant... Notent id, qui brutis tum animam tum cognitiones spirituales tribuere non erubescunt.

** Attentus id observes, rerum materialium formas, species, ideas, repraesentationes, & imagines materiales in brutis quoque reperiri, non vero *Rationes rerum*; eoquod *Rationes rerum* sint *universales*, & hoc ipso *Spirituales*. *Universalia* autem non cadunt sub sensus, sed solum sub intellectum: econtra materiales rerum formae, & ideae *singulares* sunt, quia virtuti cognoscitivae organi corporei, quae sensus dicitur, connaturale est cognoscere res, secundum quod sunt in materia individuali, e. g. forma huius civitatis, species huius libri, idea Petri, Pauli, repraesentatio istius arboris, huius horti; & ideo sensus non cognoscit nisi *singularia*. *Materia individualis* cum accidentibus omnibus individuantibus e. g. natura humana *in* Petro *individuum* vocatur. Est autem individuum, cuius collectio proprietatum ita est in uno, ut non sit in alio: proprietates istae sunt septem his versiculis comprehensae. *Forma*, *figura*, *locus*, *tempus cum nomine sanguis, patria sunt septem, quae non habet unus & alter.* Per *formam* intelligitur *complexio*, per *figuram* lineamenta vultus, per *locum* ea terrae pars, in qua quis natus est, *tempus*, quo quis natus est, per *nomen* titulus aut cognomen, per *sanguinem* familia, & per *patriam* pagus, vel civitas, in qua quis natus est, indicatur. Atque ab his accidentibus individuantibus abstrahendo intellectus noster essentiam Petri *esse animal Rationis aeternae capax* aut cuiuscunque rei *in universali sua Ratione aeterna*, quam definitio exprimit, veraciter cognoscit... En revelatum abstrahentis a materia individuali intellectus arcanum! (*vide n.* XXVII.)

res illuminat. (*Vide n.* XX *& seq. item* XLVII & seq.)

XXXIII Per *Rationes* igitur, seu per *Ideas* intelliguntur formae rerum omnium existentium, imo & omnium in infinitum possibilium, quibus omnia entia existentia conformantur, & omnia possibilia conformari possunt. *Ratio* autem, *Idea*, & *Forma* cuiuscunque rei praeter ipsam rem sive in mente Dei, sive Angeli, sive hominis existens, duplex officii genus Deo, Angelo, & homini praestat: vel enim inservit ut *exemplar*, secundum quod factum est, aut fieri potest idipsum, cuius est *Ratio*, *Idea*, & *Forma*; aut inservit ut *principium* cognoscendi quamcunque rem, secundum quod *Rationes*, *Ideae*, & *Formae* rerum cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente. (*Lege n.* XXVI.) Et quantum ad utrumque necesse est ponere *ideas*: in omnibus enim, quae non a casu (*vide n.* LXXXV) generantur, necesse est *formam* esse finem generationis cuiuscunque; agens autem non ageret propter formam, nisi in quantum similitudo formae est in ipso, quod contingit dupliciter: in quibusdam enim agentibus praeexistit forma rei faciendae secundum *esse naturale*, sicut in his, quae agunt *per naturam*; sic homo generat hominem, ignis ignem. In quibusdam autem secundum *esse intelligibile*, ut in his, quae agunt *per intellectum*, sic similitudo domus praeexistit in mente artificis, & haec potest dici *idea domus*, quia artifex intendit domum assimilare formae, quam mente concepit. Unde quia mundus hic non est *casu* factus (*n.* LXXXVI,) sed a Deo per intellectum agente creatus, necesse est, ut in mente divina sit forma, ad cuius similitudinem mundus est factus, in quo consistit *Ratio Ideae*, & *Idea Rationis*. Huiusmodi autem Ideae omnes & Rationes in mente Dei *aeternae* sunt, in mentibus autem Angelorum, hominumque *immortales* sunt, etsi res ipsae, quae secundum has Rationes & Ideas factae sunt, plerumque non perpetuo subsistunt; *Praeterit enim figura huius mundi ...*

Rationes, seu Ideae rerum omnium solide explanantur.

XXXIV Ut autem clarissimam Rationem Ideae & Rationis Ideam habeas, fundatam de his D. Augustini doctrinam accipe. Hic libro uno octogintarum quaestionum q. XLVI. Ideae speciem sequenti modo depingit: 'Tanta in ideis vis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit... Sunt autem *ideae* principales formae quaedam, vel *rationes* rerum, stabiles atque *incommutabiles*, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc *aeternae*, ac semper eodem modo sese habentes, quae in divina intelligentia continentur. Et cum ipsae neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire potest, & omne, quod oritur, & interit. Anima vero negatur eas intueri posse, nisi rationalis, ea sui parte,

'qua excellit, *ipsa mente & ratione*, 'quasi quadam facie & oculo suo interiore atque intelligibili. Et ea quidem ipsa rationalis anima, non omnis '& quaelibet, sed quae *sancta & pura* 'fuerit, haec asseritur illi visioni esse 'idonea, idest, quae illum oculum, 'quo videntur ista, sanum, & sincerum, & serenum, & *similem* his rebus, quas videre intendit, habuerit... Quis audeat dicere Deum 'irrationabiliter omnia condidisse? 'quod si dici & credi non potest, restat, ut *omnia ratione* sint condita; 'nec enim ratione homo, qua equus; 'hoc enim absurdum est existimare. 'Singula igitur propriis sunt creata 'rationibus... Et quid isto certius, quid sanae menti evidentius?

XXXV 'Has autem rationes, ubi 'arbitrandum est esse, nisi in ipsa 'mente Creatoris? Non enim extra 'se quidquam positum intuebatur, 'ut secundum id constitueret, quod 'constituebat, nam hoc opinari sacrilegum est. Quod si hae omnium 'rerum creandarum, creaturamve rationes in divina mente continentur, 'neque in divina mente quidquam, 'nisi aeternum atque incommutabile 'potest esse: atque has rerum rationes principales appellat ideas Plato: 'non solum sunt ideae, sed *ipsae verae sunt, quia aeternae sunt, & eiusmodi atque incommutabiles manent*, 'quarum participatione fit, ut sit, 'quidquid est, quoquo modo est. Sed 'anima rationalis inter eas res, quae 'sunt a Deo conditae, omnia superat, & Deo proxima est, quando 'pura est, eique in quantum charitate 'cohaeserit, in tantum ab eo lumine 'illo intelligibili perfusa quodammodo & illustrata cernit, non per corporeos oculos, sed per ipsius sui 'principale, quo excellit, idest, per 'intelligentiam suam istas rationes, 'quarum visione fit beatissima. Quas 'rationes, ut dictum est, sive *ideas*, 'sive *formas*, sive *rationes* licet vocare, & multis appellare conceditur 'nominibus, sed paucissimis videre, 'quod verum est., Ita sanctus Augustinus. Advertis, ut opinor, benevole Lector, quam ingens solidae scientiae & sapientiae in paucis hisce S. Augustini verbis ceu profundum mysterium non tam lateat, quam tuo aspectui sese apertum ostendat.

Simplex mentis perceptio est actualis formalis imago vitaliter repraesentativa obiecti cogniti.

XXXVI Quia igitur anima nostra illustrissima imago seu repraesentatio Dei, qui est veritas aeterna, facta est, ut Deum *Rationem aeternam* exprimat, & ostendat; etiam in prima sua operatione, quae *simplex perceptio* dicitur, ut formam *Rationis aeternae* praeferat, necesse est. Simplex autem perceptio est illa mentis operatio, quae nudo intuitu res ita percipit, ut nihil de illis neget, aut affirmet; ita tamen, ut & haec perceptio simplex in sua essentia sit actualis formalis imago repraesentativa obiecti cogniti secundum dicta (*n.* XXIX, & XXX non ut repraesentet exteriorem



rei formam e. g. colorem, figuram, ut fieri videmus in ſpeculo corporeo, qualis imago rei conſpicitur in imaginatione, ſed ut exprimat *eſſentiam rei* perceptae: intellectus enim, ſeu ratio noſtra habet operationem ſuam circa *Ens Univerſale*, quod primo cadit in intellectione intellectus, & eſt primum intelligibile, ſicut ſonus primum audibile, neque aliqua particularis & determinata, aut limitata entis ratio, ſed *Ipſum Ens* in tota ſua latitudine eſt obiectum mentis noſtrae, cum ens & ratio entis ab eo percipi poſſit. Ex quo ſtupenda animae rationalis effulget dignitas & amplitudo, ac quam merito dicatur eadem formata eſſe ad imaginem Dei & divinum aliquid, cuius vis agendi ſcilicet percipiendi, iudicandi & inferendi tam late patet, ac *Ipſum Ens*: atque ideo, prout ſentit S. Thomas, quodammodo *infinita* eſt. At pauci ſunt, qui hoc mature perpendunt ...

Intellectus noſter nullam rem poteſt ſimpliciter percipere, niſi iuvetur ab intellectu Entis perfectiſſimi, in quo ſunt rationes rerum omnium.

XXXVII Lectoris benevoli attentione digniſſima ſunt, quae de ſimplici perceptione mentis noſtrae tradit Seraphicus Doctor divus Bonaventura in ſuo itinerario mentis in Deum c. III: operatio virtutis intellectivae, ait, eſt in perceptione intellectus terminorum, propoſitionum, & illationum. *Capit autem intellectus terminorum ſignificata, cum comprehendit, quid eſt unumquodque per definitionem*. Sed definitio habet fieri per ſuperiora, & illa per ſuperiora definiri habent, uſquequo veniatur ad ſuprema, & generaliſſima, quibus ignoratis non poſſunt intelligi definitive inferiora. Niſi igitur cognoſcatur quid ſit ens per ſe, non poteſt plene ſciri definitio alicuius ſpecialis ſubſtantiae. Nec ens per ſe cognoſci poteſt, niſi cognoſcatur cum ſuis conditionibus, quae ſunt unum, verum, bonum. Ens autem cum poſſit cogitari ut diminutum & ut completum, ut imperfectum, & ut perfectum, ut ens in potentia, & ut ens in actu, ut ens ſecundum quid, & ut ens ſimpliciter, ut ens in parte & ut ens totaliter, ut ens tranſiens, & ut ens manens, ut ens per aliud & ut ens per ſe, ut ens permixtum non enti & ut ens purum, ut ens dependens, & ut ens abſolutum, ut ens poſterius & ut ens prius, ut ens mutabile & ut ens immutabile, ut ens ſimplex & ut ens compoſitum, cum privationes & defectus nullatenus poſſint cognoſci niſi per poſitiones, *non venit intellectus noſter ut plene reſolvens intellectum alicuius entium creatorum, niſi iuvetur ab intellectu entis puriſſimi actualiſſimi, completiſſimi, & abſoluti; quod eſt ſimpliciter & aeternum ens, in quo ſunt rationes omnium in ſua puritate*. Quomodo autem ſciret intellectus hoc eſſe ens defectivum & incompletum, ſi nullam haberet cognitionem entis abſque omni defectu? & ſic de aliis conditionibus praelibatis. Uſque huc S. Bonaventura, cuius ſeraphica doctrina eo vigilantiori reflexione a ſingulis eorum, qui iſta

legunt, est recolenda, quo rariori argumento S. Doctor tot infallibilis notitiae mysteria, quot in hoc numero plane aureo exponit verba.

Definire est rem quamcumque cognoscere, quid, & quantum de sua perfectionis mensura, quae ipsum Ens perfectissimum est, contineat, aut ab illa deficiat.

XXXVIII Quotiescumque igitur mens creata ex ratione & secundum rationem operatur, *immediate unita est aeternae Veritati*, quae Deus auctor naturae est, *ut se immediate rationabiliter moventi ac docenti*. Nam quod primam mentis operationem, scilicet simplicem perceptionem attinet, antequam mens aliquid definitive quoad quid esse rei percipiat, quae sola est perfecta perceptio, ut ex S. Bonaventura intelleximus, semper praeintelligit *Ens perfectum*, *Ens purissimum*, & *aeternum*, in quo reperiuntur rerum omnium *rationes* in sua puritate secundum dicta num. praecedenti XXXVII, in cuius Entis perfecti luce intelligamus, & capiamus, quid & quantum illa res definienda ex hoc entitatum Oceano in se habeat, & quid non habeat. *Definire* enim est ita rem quamcumque cognoscere, ut intelligatur, & capiatur, quid, & quantum illa res de sua perfectionis mensura, quae *Ipsum Ens perfectissimum* est, in se contineat, & quid de illa ei desit, & hinc est, quod quaevis definitio ex duplici mentis conceptu evalescat, uno determinabili & quasi infinito, quod in scholis dicitur *genus*, altero determinante sive finiente, ac limitante seu definiente, & alias *differentia* vocatur. Atque ob hanc eamdem causam evenit, quod sola entia creata & limitata, quibus aliquid deest, proprie ac stricte definiri possint; non autem Deus, cui nulla competit limitatio, sed potius est ipsa perfectionis mensura, qua omnia mensurantur, & definiuntur, ut ex infra dicendis Parte II constabit. Notanda autem est maxima differentia *inter externam definitionis pronunciationem*, quam & Psitacus exprimere potest, & *inter ipsam mentis definitionem*, quo sensu solus definit, qui intelligit id, quod dicit. Exterior pronunciatio definitionis est ceu *littera, quae occidit*, ac velut mortua est; mentalis vero definitio seu huius *Ratio* est *vita*, quae *vivificat*, quia subiective est radius illius lucis, quae *illuminat omnem hominem*, & spiritus illius *Vitae*, quae Ioannis I dicitur *Lux hominum*. Ut autem aliquis rem perfecte percipiat per definitionem, non satis est concipere definitionis verba, seu attributum rei, sed totam essentiam, & totam rei naturam oportet capere illum, qui perfecte rem vult percipere. Inde intelliges, quod solus Deus possit modo *perfectissimo* res definire, quia ipse solus, sicut omnes numerat capitis nostri capillos, ita & omne imperfectum nostrum viderunt oculi ipsius.

Expressio Rationis aeternae, quam anima rationalis sua simplici perceptione repraesentat, manifeste ostenditur.

XXXIX Non sine modesta impatientia merito exspectas, amice lector, ut faciliori argumento intelligas: *quomodo tua anima rationalis, tanquam viva, & vera Imago Dei immortalis simplici sua perceptione Rationem aeternam exprimat.* Ubi notabis, verbum *exprimat*, non sine sua ratione esse appositum; ovum etenim ovo est simile, sed ovum non est imago ovi; petis: cur id non? ovum simile ovo non est ad imaginem seu imago ovi, eo quod ovum simile ovo non est factum ad expressionem alterius ovi, sed est aequale ovum, sicut est alterum, per se, & pro se; ast imago praeter similitudinem, quam ostendit ad suum prototypon, est ad hoc facta, ut exprimat, ut ostendat, & demonstret clare, & distincte suum prototypon. Quapropter, quia anima rationalis Imago Dei, *qui Ratio aeterna est*, ad expressionem *Rationis aeternae* est facta, debet necessario hanc ipsam *Rationem aeternam* clare & distincte *exprimere*.

XL Ut igitur id ipsum, & ad votum & ad oculum Lectoris singulariter demonstretur, eidem ad iucundum intuitum, Materialistis vero ad salutare documentum proponitur, quod in quaesitis sequentibus continetur. Edicito igitur, amice lector, an *ratio*, *idea*, seu *forma mundi*, secundum quam hic mundus, quem inhabitas, factus est, ab aeterno fuit, modo est, & in aeternum erit *ratio*, *idea*, & *forma mundi*? Utpote te latebit minime certissimum Philosophorum adagium: *Essentiae rerum sunt immutabiles, sunt aeternae*. Consequenter & rationes rerum & definitiones seu perceptiones aeternae sunt. Edicito, amice: an ratio, idea, seu forma caeli stellati, & terrae floriferae, secundum quam caelum & terra, quam conspicis, condita est, ab aeterno fuit, modo est, & in aeternum erit ratio, idea, & forma caeli stellati & terrae floriferae? Quid sentis? An ratio ignis, ratio aëris, ratio aquae, ratio terrae an ab aeterno fuit, modo est, & in aeternum erit ratio, idea, & forma secundum quam factus est ignis, aër, aqua, terra? An ratio, idea, & forma cuiuslibet speciei volatilium, animalium, & piscium ab aeterno fuit, modo est, & in aeternum erit ratio, idea, & forma volatilium, animalium, & piscium, secundum quam producta sunt? Quid iudicas? An ratio, idea, & forma cuiuslibet speciei florum, herbarum, arborum, fructuumque, secundum quam constitutae sunt, ab aeterno fuit, modo est, & in aeternum erit ratio, idea, & forma cuiuslibet speciei florum, herbarum, arborum, fructuumque universorum? . . . An id difficile captu? . . . si hoc? apprehende manu! . . . Sed plus ultra!

XLI Quid sentis, quidve cogitas de *ratione*, de *idea*, de *forma*, secundum quam omnes homines & omnes angeli creati sunt? an haec ratio, haec

idea, & forma angelorum hominumque ab aeterno fuit, modo est, & in aeternum erit? An haesitas? minime, quia etiam palpari vix non potest, quod sicut ratio hominis est ratio hominis, ratio angeli est ratio angeli, ratio piscis est ratio piscis, ratio volucris est ratio volucris, ratio aquae est ratio aquae &c. ratio caeli est ratio caeli, & ratio mundi est ratio mundi & non alterius rei; sic ratio hominis est ratio hominis & non ratio volucris, ratio terrae est ratio terrae & non ratio caeli, ratio arboris est ratio arboris, & non ratio lapidis &c. An vero aliquando erit ratio caeli ratio terrae? aut forte ratio hominis erit ratio aquae? An ratio volucris ratio erit arboris? Respondes hoc erit nunquam in aeternum. Cur hoc non erit, etiam in aeternum nunquam? Das rationem, quia sic ratio hominis esset ratio hominis, ut asseritur, & simul non esset ratio hominis, quia esset ratio aquae; sed *idem non potest simul esse, & simul non esse.* Si quaero an sit aeterna veritas, quod *idem non potest simul esse, & simul non esse*? Quid respondes? non utique negabis? ergo percipis Veritatem aeternam: quinimo omnes praedictae rationes rerum sunt rationes aeternae, quia sicut in aeternum aliter esse non possunt, ita ab aeterno aliter fuisse aeque parum potuerunt: atqui has omnes *rationes aeternas* percipis, dum earum *definitiones* capis, & simplicissime ut *ideas* conspicis; ergo *anima tua aeternam Rationem simplici perceptione exprimit,* quod in hac prima opusculi huius parte erat demonstrandum, & est huiusmodi demonstrationis genus tam clare patens, quam etiam plene potens, ut nullus *sanae rationis* intellectus adeo sit rudis, qui eidem resistere possit, nec ullius voluntas adeo contumax, quae illi consentire non velit. Accipe aliud plane convincens argumentum. Anima rationalis evidenter percipit & *transitorium* & *aeternum*, imo infallibiliter discernit *aeternum non esse transitorium*, & vicissim *transitorium non esse aeternum*, neque perciperet intellectus transitorium & defectivum, si nullam haberet perceptionem *aeterni* & *perfectissimi* (*num.* XXXVII) atqui hoc ipsum *aeternum* & *perfectissimum* est ipsissima *Ratio aeterna*: ergo anima rationalis Imago Dei immortalis simplici perceptione manifeste exprimit Rationem aeternam .... Demonstratum satis!

An praedictae Rationes aeternae sint entia a ratione conficta, aut omnino nihil?

XLII Ad istud in praesenti titulo propositum quaesitum cum Atheistis Materialistae respondent: *Ita, omnes Rationes aeternae sunt entia a ratione conficta, imo omnes omnino sunt nihil.* Quo igitur argumento homo Christianus evincat, datum Libertinorum responsum manifeste esse falsum? Non alio praeter illud, quod supra *num.* XXXVII D. Bonaventura de *simplici perceptione* subministrat, ceu subsidio potentissimo, utatur documento: Prima operatio virtutis intellectivae est

4

in perceptione intellectus terminorum; *Capit autem intellectus terminorum significata, cum comprehendit, quid est unumquodque per definitionem*. Qui id legis, penetranter intelligas, & quod sequitur, ceu utilissimam praxim, qua omnem tuae mentis operationem incipias, mature perpendas. Ut igitur I Simplici perceptione, II infallibili enunciatione, atque III immutabili illatione *aeternam Rationem* exprimas, omnium id observes primum: Quantum potes, perfecte comprehendas, quid est per definitionem unumquodque eorum, quae per terminos, aut per litteras vocesve significantur, ut singulorum terminorum, litterarum, vocumque significata clare & distincte intelligas.

XLIII Praesens quaesitum: an *praedictae Rationes aeternae sint entia a ratione conficta, aut omnino nihil?* perutile istius praxis esto exemplum. Primo igitur aeternarum Rationum, quales *n.* XL & XLI signatae sunt, requirenda est definitio, aut definitiva descriptio, & quae est ista? Praedictae Rationes aeternae, & infinitae aliae huiusmodi sunt ex D. Augustino hic *n.* XXXIV principales formae seu ideae stabiles & incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc *aeternae*, & semper eodem modo sese habentes, quae in Divina Intelligentia continentur, & cum ipsae neque oriantur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire potest, & omne quod oritur, & interit. En genuinam descriptionem definitivam cuiuscunque Rationis aeternae!... Sed procedamus ulterius: Verbi in quaestione positi, *sunt*, aut *sint*, quaenam est definitio? Verbum, *sunt*, significat partim tempus praesens, partimque unit subiectum hoc, *Rationes aeternae*, cum hoc praedicato, *entia a ratione conficta, aut omnino nihil*, quia est *Copula* subiectum inter & praedicatum; & ideo nomen *ens* descendit a verbo *sum*, quodpiam veluti participium; *ens* enim est, quod habet *esse* sive actuale sive possibile, aut EST IPSUM ESSE, (*n.* CXX.) Ex quo facile colliges definitivam explicationem termini, *entia v. n.* CXXII.

XLIV Quaenam autem est descriptio significati nominis, *a Ratione*. Hanc lege supra num. XII, XIII & XIV, & videbis, quod omnis Ratio in nobis sit aspectus animi nostri, quo hic per se ipsum, non vero per corpus, nec per imaginationem intuetur verum aeternum. Expendas, quaeso, quantam rerum notitiam praxis ista & reflexio per rerum illarum, quae per terminos, litterasve, aut per voces significatae sunt, simplicem perceptionem tibi suggerat! Superest, ut id quoque, quod terminus, *conficta*, nomenque, *nihil*, significat, per definitivam explicationem notum habeas. Illud autem *confictum* dicitur, quod per fictionem seu per simulationem factum est id, quod in veritate rei non est: *sic simulator ore decipit amicum. (Proverb. XI)* Unde si nostra phantasia Insulam Sardiniae depingit in aurea forma, forma aureae Sardiniae est imago ficta; pariter si intelle-

ctus, ratio, seu aspectus mentis nostrae posset concipere *non ens ad modum entis*, hoc ipsum *ens* foret ens a ratione confictum, & per simulationem mentis nostrae factum; tam parum autem intellectui, aut rationi nostrae possibile est * *non ens ad modum entis* concipere, quam multum oculis nostris impossibile est *tenebras ad modum lucis* videre. Nomen, *nihil*, quod in proposito quaesito & responso legitur, significat *negationem omnis entis*, seu *omnis esse*. Haec autem negatio *omnis entitatis* non potest concipi nisi in affirmatione & *positione omnis entitatis*, idest in perceptione *Entis Immensi*, in quo omne est, quod *esse* non repugnat, in cuius Luce seu Ratione & Entitate perfectissima non solum omnia entia, sed etiam omnes illorum privationes & defectus entitatis aut perfectionis evidenter cognoscimus secundum dicta n. XXXVII.

XLV Significatione terminorum nominumque huius quaesiti: *An praedictae Rationes aeternae sint entia a ratione conficta, aut omnino nihil?* Secundum aeternae Rationis obiectivae normam rite percepta, responsum adversariorum idipsum asserentium levissimo negotio totaliter falsum palam demonstrabis. Pro praesenti de *simplici perceptione aeternae Rationis* tradita informatione non aliud, praeterquam quod rationem definitivam *Rationum aeternarum*, quae mox supra ex Augustino assignata est, veluti ad dextram, rationem vero definitivam *entium a ratione confictorum*, & ipsius

* Accipe grande mysterium! De omni eo, quod *impossibile* aut *non ens* dicitur, nulla ratio, seu cognitio formari potest: sic montis sine valle, aut vallis sine monte, sic patris sine filio, aut filii sine patre nulla possibili ratione aliqua idea aut cognitio formari poterit. Quod bene notandum; ex hoc enim profundo argumento, omnem Rationem esse rationem, & ideam alicuius *entis*, & omne *ens* esse alicuius aeternae *Rationis* manifeste constat. Quapropter in tantum unumquodque est intelligibile, seu cognoscibile, secundum quod *est*; unumquodque autem in tantum *est*, quantum participat de Ente Perfectissimo, quod est Deus, unde quia tam *impossibile*, quam *non ens* nihil participiat de hoc perfectissimo Ente, utrumque caret omni ratione, & omni entitate, & nec unum nec alterum in se est perceptibile. Et ideo sicut *malum* cognoscitur a Deo iuxta D. Thomam I p. q. XV a III, non per propriam rationem *mali*, sed per rationem *boni*, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae, ita etiam *non ens* & *non possibile* non cognoscitur per rationem propriam, quae nulla est, sed per rationem *entis*, non equidem apprehendendo *non ens*, ac si *esset ens*, sed cognoscendo illud *non esse in se ens*, quod non est *ens* fingere, sed secundum quod cognoscibile est, veraciter agnoscere. Sicut igitur *tenebras* ad *modum lucis*, *mortem* ad modum *vitae* cognoscere, ita & *non ens* admodum *entis* concipere turpe errare est. Hinc *Ratio* aeterna obiectiva rerum *privationes*, & *negationes* non per propriam rationem, & formam, quam nullam habent, sed per rationem, & formam *suarum positionum*, sicut oculus in tantum videt noctem, in quantum non videt lucem, concipiendas esse solicite nos edocet. Colliges ex dictis Rationem *mali*, *peccati*, & *non entis* in mente Divina ... Angelica ... & humana non *affirmative*, nec *positive*, sed *negative* exsistere. ... En grande mysterium multis absconditum, & paucis revelatum!

nihil ad finistram constituas, non aliud argumentum praeter hoc solum assumas, attentoque mentis tuae aspectu, qui ratio tua est, an ratio definitiva *Rationum aeternarum* sit una & eadem ratio definitiva *entium a ratione confictorum*, & una & eadem ratio definitiva *nihili*, diligenter observa. Quo facto, primo statim intuitu apertis quasi oculis videbis infinitam differentiam & disconvenientiam, quae inter *Rationes aeternas*, & inter *entia a ratione conficta*, & inter *nihil* interiacet, unamque ab altera distinguit, simulque demonstratam videbis de quaesito verissimam sententiam hanc: *Praedictae num. XL & XLI aeternae Rationes non sunt entia a ratione conficta, nec sunt omnino nihil*. Consequenter contradictoria adversariorum propositio in responso data: *praedictae aeternae Rationes sunt entia a ratione conficta, & omnino nihil*, est evidenter falsa. Fatere: an non facillimum, invictissimumque demonstrationis id genus sit? . . .

XLVI Quod si protervam Materialistae ignorantiam, qui *Rationes aeternas* & *entia omnia nihil esse* contendit, non solum plene confusam, sed etiam ad extremam usque internecionem deletam velis, petas a quocumque illorum: edicito tu, qui omnia nihil esse dicis, & facis, quid est *nihil*? *Nihil est negatio omnis entis & omnis esse*, neque tu id negabis? Iam sic: si *ratio*, sive *idea* hominis est *nihil*, si *ratio* caeli est *nihil*, tunc & idea & forma hominis, terrae & caeli &c. est *nihil*, seu *est negatio omnis entis & omnis esse*, & e converso *nihil* seu negatio omnis entis & omnis esse est *idea*, *forma*, & *ratio* hominis, terrae, caeli &c. consequenter iuxta hunc Philosophum *nihil est ratio, idea, & forma rerum omnium*, adeoque *nihil & negatio omnis esse & omnis entis est simul & ratio, idea, & forma, seu positio omnis entis*. Dicat Philosophus ad ista irrefragabilia quid sentiat? Ergo impossibili posito, quod libertinus dicendo *omnia esse nihil* verum teneat, palpabilis evidentia demonstrat *praedictas rationes aeternas esse, etsi simul nihil sint*; & *nihil esse nihil, etsi simul rationes aeternae sit*. Quia ergo *rationes* sunt *aeternae*, ubi existunt? non in concavo lunae, prout Plato somniasse dicitur; ubi ergo? an nullibi? At hoc plane est impossibile: ergo, quia aeternae, in aeterno exsistunt Ente, scilicet in essentia ubique praesentis, ubique illuminantis, & ubique animam nostram rationalem ad expressionem istarum Rationum aeternarum formantis Dei. Centies millies cum tuis, Libertine, neges *Rationem esse aeternam*, & affirmes centies millies *Rationem esse nihil*, non plus praestabis cum omnibus tuis asseclis, quam quod centies millies negando affirmes, & affirmando neges *Rationem esse nihil*, & *nihil esse Rationem*, adeoque rationem & nihil esse & non esse, consequenter etsi *Ratio* secundum tuum assertum *nihil sit*, tamen *simul est Ratio aeterna*, ad cuius expressionem tua quoque anima est facta, ex quibus tibi tuisque cunctis non potest non esse manifestum,

& evidenter demonstratum *Rationem aeternam*, cum Ipse Deus sit, aeque parum ac existentiam Dei negari posse; & toties, quoties negatur, innegabiliter semper affirmatur. Perpende, an non verior, atque rationabilior sit ista philosophandi ratio, quae ineluctabili necessitate *veritatis hostem* eousque compellit, ut non possit se non plene convictum fateri, dum id ipsum, quod negat, etiam negando affirmat, & quod affirmat, etiam affirmando negat, adeoque *idem simul esse, & simul non esse*, hoc impossibile tanquam possibile insipienter propugnat.

Sol intelligentiae Angelorum hominumque mentes illuminat, & omnium rerum rationes manifestat.

XLVII Ex suo effectu, ea, quae efficiens principalis est causa, adeo praeclare cognoscitur, ut praenobilis effectus haud imparem suae causae nobilitatem efficaciter commendare videatur (*infra num.* LXXXIV). Mundum hunc aspectabilem tum materialem tum spiritualem (*n.* XXXI & XXXII) non fortuiti casus, sed omnipotentis Dei Spiritus esse effectum evidenter constat ex *n.* LXXXVII. Ipsum autem hominem esse, propter quem praecipue materialis mundus creatus est, ex primo huius operis themate, quod Divinum refert testimonium, manifeste patet, ex quo sapienter creationis nostrae intelligimus exordium, hominem ideo ad Imaginem Dei conditum, ut *imitator* sui esset auctoris, & piscibus maris & volatilibus caeli & bestiis, universaeque terrae praesideret. Propterea animam rationalem in hoc mundo ceu in augustali suo ornatissimo *Reginam*, cui omnes creaturae inserviunt, merito appellat Gregorius Nissenus *num.* XI. Amplitudo huius Reginae est tanta, ut eamdem quodammodo *infinitam* dicat S. Thomas *num.* XXXVI non solum enim ad singularia rerum entiumque genera sed ad ipsum quoque *Ens universalissimum*, in quo perfectiones rerum omnium cognoscibilium colliguntur, (*n.* XXXVII, XXXVIII, CXII & *seq.*) immenso veluti amplexu se adeo extendit, ut eamdem Divinitatis formam, quam Creator, eidem iugiter imprimit, ceu viva, & vera imago Dei immortalis fideliter exprimat. Atque ut hoc grande mysterium homini, qui ob propriam peccati culpam in tenebris ignorantiae sedet, illucescat clarius, Deus seipsum *Solem Intelligentiae*, nec non *Lucem, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, appellare dignatur, (*n.* XX) huicque splendidissimo, atque ingenti Lucis globo sese assimilat, ut *quantum* Divini vultus sui *Lumen* supra nos signatum sit, clarissimo nobis argumento ostendat.

Inspiciamus igitur praeclaram similitudinem rationis utriusque Solis *Spiritualis*, & *materialis*, hunc in *materiali*, alterum in *Spirituali* mundo observabimus (*n.* XXXI, & XXXII). Argumenti praesentis forma non tam à minori ad maius, quam a minimo ad maximum, utpote a sole finito ad Solem infinitum producitur.

Sol materialis, cunctis astris splendidior per totum materialem mundum maximam suae lucis spargit copiam, qua totum mundum universim, & singula corpora particulatim illuminat, ac diversissima colorum varietate vestita videntis oculo demonstrat.

Ergo multo magis Sol spiritualis Deus, cuius splendor adeo est immensus, ut in huius comparatione tota materialis Lux vix modica scintilla, quanta ex silice excutitur, aut tenuis umbra esse videatur, totum mundum Spiritualem universim, & singulas Angelorum, hominumque mentes, ceu amplissimas, & prope infinitas mundi Spiritualis regiones particulatim illuminat, rerumque Rationes manifestat.

Solis Intelligentiae Lux omnia facit intelligibilia.

XLVIII Sol materialis emittendo lucis suae radios, quae sensibilis manifestatio corporum est, totum mundum universim, & singula corpora particulatim visibilia, ipsosque oculos vilivos facit, & sine luce cuncta invisibilia forent, atque per eosdem radios in corporum superficie innumeris modis, formisque secundum maiorem, aut minorem eorundem dispositionem, & capacitatem, sicut magis in speculo, aqua, & auro, ita minus in ligno, terra, & ferro sui speciem formam, ideam, & imaginem imprimit, atque depingit.

Ergo multo magis Sol Spiritualis Deus Ter Optimus, Maximus sua spiritualissima Luce, quae omnium rerum intelligibilium manifestatio est, sine cuius irradiatione prorsus nihil intelligi, & nullus intelligere posset, totum mundum spiritualem, & singulas Angelorum, hominumque mentes facit intellectivas, omnesque res actuales, atque possibiles, tum Spirituales, tum materiales reddit intelligibiles; pariter Sol iste Spiritualis, Deus, per divinissimae Entitatis, Veritatis, ac Bonitatis suae radios, quibus tum mundum materialem, tum Spiritualem, & cuncta quae in eis sunt creando, & conservando producit, secundum maiorem, aut minorem mentium, corporumque dispositionem, & capacitatem, praecipue vero in mentibus Angelorum, hominumque Divinitatis suae formam, speciem, & effigiem seu imaginem diu noctuque depingere non cessat.

Quot Rationes rerum, tot Solis Intelligentiae radii, & Lux una sunt.

XLIX Solis materialis radii omnes, quibus universus materialis mundus, singulaque corpora, seu totidem variis, diversisque coloribus vestiuntur; etsi in diversis corporibus diversae formae, & speciei diversi colores sint, hic modo nigro, & albo, ibi modo viridi, & flavo, modificati videantur distincti, omnes tamen isti radii sicuti radii solares, ita & omnes unius Solis radii imo & una eamdemque lux solis sunt, & vel ideo non tam clari, quam clarissimi sunt, quia omnes unius solis radii ex lucidissimo quasi fonte tanta

perspicuitate profluunt, ut illi quoque radii solares, qui in modum nigri, aut obscuri coloris modificati cernuntur, eo clarius, quo obscurior eorundem modificatio est, a reliquis coloribus discernantur, eo quod solis quosdam radios obscuros esse, implicare seu impossibile esse videatur.

Ergo multo magis Solis spiritualis omnes radii, quales sunt singulae revelationes, manifestationes Entitatum, Veritatum, & Rationum rerum omnium, quibus universus Spiritualis mundus, ac singulae Angelorum, hominumque mentes veluti totidem Spiritualibus formis, ideis, ac rationibus, ceu Filiae Regis vestitu deaurato exornantur; tametsi in diversis entibus, tum spiritualibus, tum materialibus, diversae formae, & species, diversae Veritatis, & Bonitatis rationes diversae sint, hoc non obstante omnes isti Solis Intelligentiae Rationisque aeternae radii, qui hic per modum stellae, & lunae, ibi per modum piscis, & lapidis, alibi per modum diversae plantae, bestiae, & herbae, ac undique alia discretionis varietate in entium diversissimorum ratione cognoscuntur discreti, omnes & singuli huiusmodi formarum, rationumque diversarum radii non nisi *unius & solius intelligentiae Solis aeternae Rationis Divinae sunt radii*, imo & una eademque Lux seu manifestatio intelligentiae Solis subsistunt, & vel ideo in se *nulla obscuritatis* nota signati tam *eximia claritate* ceu nobilitate illustrati sunt, ut in comparatione claritatis omnium idearum, & rationum spiritualium ipsos radios materialis solis nonnisi splendidam umbram & dicere, & existimare oporteat. Etenim ipsa Ratio *infinitae obscuritatis* tam in mente divina, quam in mente angelica, & humana tantae claritatis esse noscitur, ut nonnisi in ipsa infinitae *claritatis idea* conspiciatur, *vide n.* XLIV.

Omnes rerum Ideae, & Rationes sunt clarae, nullae obscurae, Rationali menti omnes unitae, & nullae ab extra adventitiae.

L. Omnes igitur universarum rerum Rationes, seu ideae sicut in mente Divina una Ratio, & una Idea, nimirum ipsa simplicissima a creaturis infinitis modis, & rationibus participabilis Essentia, & Ratio Divina sunt, ita & in mente Angelica, & humana una ratio & una idea Angelica, & humana, nempe ipsa simplex essentia Spiritus rationalis est, qui ad imaginem, & similitudinem eiusdem simplicissimae a creaturis infinitis modis, & rationibus participabilis Essentiae, & Rationis Divinae conditus, eandem imitando adeo vivaciter, veraciterque ceu imago exprimit, ut in nobis sicut & in Angelis, quasi in quodam speculo Divinae Essentiae, & Rationis a creaturis infinitis modis & rationibus participabilis forma resplendeat. Ex quo irrefragabili fundamento, quod per totum hoc opus evidenter demonstratur, indubitanter constat: Primo, non tantum *omnes ideas*, rerumque omnium *Rationes* esse *claras*,

& nullas *obscuras*. * Sed etiam secundo, easdem omnes ideas, & rationes cum ipso rationali Spiritu *unitas*, & *innatas* eidem esse; nullae proin ideae *rationales* adventitiae, (aliter sentiendum de *ideis materialibus*, quae ab exteris rebus sunt adventitiae) nullae ab ipsa *rationali essentia*, aut ab *essentia rationis* realiter divisae, sed quae in rebus exterioribus specie diversis inter se se pariter specie differentes, sola ratione cum fundamento in rebus specie diversis reperto distingui, praescindique possunt, in mente angelica, & humana admittendae sunt. (*V. n.* CXXXIV*).

LI Si quaeras: cur inter multos ad intimiorem propriae Rationis notitiam vocatos, pauci adeo sint electi, qui huiusmodi humanae Rationis arcana sapienter inspiciunt? Id genus miseriae inde oriri scias, quod inter vocatos multi, imo plurimi sua mentis attentione, & studiorum intentione intra limites huius visibilis mundi, ceu *materialis universitatis* studiosi, adeo constanter persistant, ut intra *mundum spiritualem*, etsi hic animae rationalis propria regio & patria sit, vix ullum suae advertentiae aspe-

* Antiquissimum Philosophorum dissidium, quod hac tempestate vehementer recruduit, praesens argumentum perstringit, dum celebrem illam *de origine idearum obscurissimam* quaestionem (sunt verba Eclectici Montier) clarissima luce exponit. Criticus hic sat notus in sua arte critica, Eclectica, Met. tom. I p. II in adnot. histor. n. DCIII Venetiis anno MDCCLXX & LXXI typis Antonii Zatta edita suam de ideis mentem sequentibus explicat: 'Ideae nostrae, hoc est, mentis 'repraesentationes, ait, a mente quidem 'ipsa eliciuntur, aut manant. Sed praeter 'eam mentis efficaciam, a qua tanquam 'a causa fluunt, aliae ab innatis speciebus 'seu notionibus menti nostrae *a Deo inditis, maxima tamen pars a sensuum actionibus, & phanthasmatibus, aliae demum a meditatione nostra originem suam ducunt*. 'Quapropter quod ad rei fundum, licet 'maximam idearum partem acquisitam 'esse, aut meditatione partam dicamus; 'mentis tamen efficaciam, & motiones 'quasdam animae *a Deo inditas*, quibus 'anima ipsa ad Dei & primorum prin'cipiorum cognitionem perveniat, tene'mus. Utrum vero *motiones illae humanis mentibus ab illo inditae, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc 'mundum*, appellentur a te ideae, necne 'nihil moror: addo tamen quam plurima 'a me circa idearum originem & natu'ram ignorari, qui nimirum illi sint hu'munae mentis actus, quomodo mentem '*illuminent*, ab ea eliciantur, in illa re'ceptentur; quid etiam sint *illae impres'siones Dei* in anima; quo demum pacto 'phantasma materiale per sensus in cere'brum translatum, ibique impressum ad 'spiritualem cognitionem conducat, in 'eamque influat, ut iure merito dici pos'sit, ideas per sensus acquiri: Haec, in'quam, *omnia spes nulla affulget*, ut in 'praesenti vita enulcemus, atque perci'piamus,. Hucusque criticus Montier, qui dum sub ipso meridiano sole ambulat, de lucis intelligentiae die desperans, se densissimis ignorantiae tenebris involutum putat. Sed tum huius, tum alterius Eclectici critici liberae electioni esto propositum, utrum tenebras, quas de ideis caecus Philosophus lepide somniat, an vero clarissimam lucem, quas de iisdem Magister Christus, ceu Intelligentiae Sol evidenter demonstrat, in suam partem assumat.

ctum, aut unquam maturae reflexionis gressum ponant. Idcirco ad *sensualia* huius mundi materialis obiecta distracti, & a mundo *spirituali* & a se ipsis alienati, non aliud praeter id, quod corporei sensus percipiunt, suo intellectu & voluntate attingunt. Accedit, quod prope singuli istorum, eos magistros audiant, illosque libros legant, qui omni spiritu, & veritate destituti, suo lectori, quod non habent, genuinum scientiae fundamentum dare nequaquam possunt. Unde in nullo scientiarum genere bene radicati, paleas sine fructu, vacua sine spiritu verba proferunt, & in pluribus aut veritati, aut sibi ipsi contradicere palam ostendunt, infelices tenebrarum scholae discipuli, in quibus illud proh dolor! adimpletum cernitur: *Vita erat Lux hominum, & Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt*; tametsi Lux, & Vita haec verus, & vivus intelligentiae Sol, qui suo rationis splendore omnem hominem sine exceptione illuminat, ut universarum rerum ideas, & rationes genuine percipiat, atque illarum perspicuitate rationum, quas veluti tot solis intelligentiae radios paulo ante suspeximus, laudabiliter illustratus, praeclarae veritatis, & virtutis diem a nocte abominabilis malitiae & miseriae discernat, & in Sacrosancta Divini magisterii Schola ad maiorem Dei, & Domini nostri Iesu Christi honorem, & gloriam, nec non ad suam, aliorumque salutem plus magisve proficiat.* At ecce, hominibus variorum errorum vitiorumque tenebris offusis, quorum vix est numerus, splendidissimus intelligentiae Sol totus videtur obscuratus; adeo enim pro suae merito culpae, facti sunt obcaecati, ut lucem Solis sese intus illuminantis nec advertant, nec comprehendant. Propterea super universam terram tenebrae factae sunt undique, dum perniciosi Atheistae, & Materialistae, Atomistae, & Novatores perversas, temerarias, falsas, & haereticas opiniones, ac fallacia sophismata spargentes, ceu *tot sidera errantia, quibus*, teste Apostolo Iuda, *procella tenebrarum servata est in aeternum*, & quorum lux ipsae tenebrae sunt, nostrum Catholico-Christianum hemisphaerium sine iure, & sine merito occupant, tertiamque partem eorum, qui aeternae Rationis luce, ceu splendidae stellae refulgent, horrendis infernorum tenebris involvere attentant. Perdilecte, si & tuae ignorantiae tenebrae beatissimam istam lu-

* Tentare liceat: quid huiusmodi feliciter *proficientes* de unius, alteriusve rei Ratione sentiant, & in primis duo in rebus esse *extrema* solerter attendamus. *Actum purum*, scilicet Deum, in quo tanquam Ente perfectissimo tota essendi est plenitudo, & *potentiam puram*, in qua nihil est de Ente actu, proinde ab Augustino vocatur *prope nihil*, & a Platone *divinitati dissimillima* dicitur, eoquod inter omnia reliqua entia a Deo Ente, & actu puro longissime recedit. Unde quia media,

cem nondum comprehenderunt, vel hodie adhuc tum huius opusculi primae partis lectione, tum studiosa imitatione ut comprehendas, vigilanter cura, & instanter vivido mentis tuae aspectu, qui tua ratio est, aperte videbis, quatenus Imago Dei Immortalis, Anima tua rationalis exprimit Rationem aeternam non solum *simplici perceptione*, quod huius operis Pars prima hucusque ostendit, sed etiam *Infallibili Enunciatione*, quod tuae venerandae exspectationi evidenter demonstrabit

---

quo propius accedunt ad alterum extremorum, eo magis naturam eius sapiunt, & ab alio extremo recedunt; ideo quanto aliquid propius accedit ad *puram potentiam*, tanto magis minuitur, limitatum deprimitur, & annihilatur: e contra vero quanto longius aliquid a materia recedit, tanto propius ad Deum, actum purum, accedit, ideoque perficitur, dilatatur, ac plus de Entis plenitudine in se recipit. Iam vero a non paucis, ut talis *pura potentia* in linea entis *materialis* secundum suam genuinam *Rationem aeternam*, quae in mente Entis perfectissimi est, primo *positive*, dein *negative* describatur, instanter desideratur. Interim donec melior adducatur, sequens suggeritur: *Pura potentia materialis est primum subiectum, ex quo aliquid fit, cum insit, non secundum accidens, et si corrumpitur aliquid, in hoc abibit ultimum*, & idest *pura potentia materialis positive* descripta: *negative* accepta, *non est quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur*. Ratio dictae descriptionis est, quia quidquid sub sole fit, fit ex aliquo, et si corrumpitur, abit in aliquid aliud; sed id ipsum, ex quo omnia sub sole fiunt, & in quod omnia abeunt, est *subiectum commune*, seu *pura potentia* omnium rerum, quae sub sole fiunt. Sicut enim *nihil ex nihilo naturaliter fit, ita etiam nihil in nihilum naturaliter revertitur*. Item de ratione purae potentiae est, esse ens incompletum, de ratione autem entis incompleti est, ex natura sua coniungi cum aliquo ad faciendum unum totum in aliqua ratione entis, sic potentia pura exigit coniungi cum actu, seu cum forma, qui actus est participatio *actus puri*, Dei, qui infinitis modis & formis est *participabilis a pura potentia*. Atqui, ex praedictis infert ratio, haec potentia est materia prima & talis actus est substantialis forma ... Ergo Ratio aeterna dictat, & docet rationem materiae, & formae substantialis esse infallibilem, & certam..., Iam vero, quae ratio expugnabit Rationem? ...

PARS SECUNDA

IMAGO DEI IMMORTALIS ANIMA RATIONALIS

EXPRIMIT RATIONEM AETERNAM

INFALLIBILI ENUNCIATIONE

Intellectus humanus veritatem propositionum infallibilem esse scit per Lucem, quae illuminat omnem hominem.

LII Quid manifestius, quam ut imago exprimat id, ad cuius expressionem ab optimo artifice est facta? * Animam nostram ad imaginem Dei factam ad hoc, ut rationem aeternam, quae ipse Deus est, vivaciter, veraciterque exprimat, ex praedictis satis constat, dum *anima etiam per suam simplicem operationem, quae immutabiles rerum omnium definitiones repraesentat, ipsam rationem aeternam evidenter demonstrat.* Quomodo autem *infallibili enunciatione sua* id perficiat, Seraphicus Doctor D. Bonaventura

* *Quanta maggiore espressione* (scribit Ganganelli ad quemdam pictorem) *vi sarà, o Signore, nelle vostre pitture, tanto più saranno plausibili l'opere vostre. Tutto l'essenziale consiste in questo.*

Quanto melior in imagine rerum expressio, tanto perfectior commendatur imago; tota enim imaginis essentia est, res, quas repraesentat, ad vivum exprimere.

paucis declarat citato superius loco *: *intellectum autem propositionum tunc intellectus noster dicitur veraciter comprehendere*, inquit, cum certitudinaliter scit illas veras esse, & hoc scire est scire, quoniam non potest falli in illa comprehensione; scit enim, quia veritas illa non potest aliter se habere. Scit igitur veritatem illam esse incommutabilem. Sed cum ipsa mens nostra sit commutabilis, illam sic incommutabiliter relucentem non potest videre, *nisi per aliquam aliam lucem omnino incommutabiliter radiantem*, quam impossibile est esse creaturam mutabilem. *Scit igitur in illa luce, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quae est lux vera, & verbum in principio apud Deum*. Haec Sanctus Bonaventura.

LIII Quantum concordet cum Doctore Seraphico S. Augustinus, eruitur ex lib. VII Confess. c. XVII ubi quaerit S. Doctor, unde approbaret pulchritudinem corporum sive caelestium sive terrestium, quid ipsi praesto esset, integre de mutabilibus iudicanti & dicenti: hoc ita esse debet, illud non ita? Sibi ipsi respondet S. Doctor: hoc ergo quaerens, unde iudicarem, cum ita iudicarem, inveneram *incommutabilem, & veram Veritatis aeternitatem* supra mentem meam commutabilem, atque (ut S. Doctor ostendat per quos schalae gradus ad Sancta Sanctorum, ubi Veritas aeterna habitat, pervenerit, pergit) atque ita gradatim a corporibus ad sentientem per corpus animam, atque inde ad eius interiorem vim, cui sensus corporis exteriora nunciaret, quousque possunt bestiae; atque inde rursus ad ratiocinantem potentiam, ad quam refertur ad iudicandum, quod sumitur a sensibus corporis, quae se quoque in me comperiens mutabilem, erexit se a contradicentibus turbis phantasmatum, ut inveniret, *quo lumine aspergeretur: cum sine ulla dubitatione clamaret, Incommutabile praeferendum esse mutabili; unde nosset ipsum Immutabile; quod nisi aliquo modo nosset, nullo modo illud mutabili certo praeponeret*, ut perveniat ad id, quod est in ictu trepidantis aspectus. Tum vero invisibilia tua, per ea, quae facta sunt, intellecta conspexi, sed aciem figere non valui, & repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam, nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, quae comedere nedum possem. Et ut intelligamus, quid nomine *Incommutabilis ac aeternae Veritatis* intelligat S. Doctor, explicat id sequenti capite. *Verbum enim tuum*, aeterna Veritas superioribus creaturae tuae partibus supereminens subditos erigit ad se ipsam, secundum quod dicit: *Ego sum via, veritas, & vita*. Ita S. Augustinus tum lumine Fidei, tum Rationis Pater & Doctor plene illuminatus.

* *S. Bonav. in Itiner. mentis in Deum c. III.*

Certitudo scientiae est ex lumine rationis, quo in nobis loquitur Deus.

LIV Angelicus Doctor S. Thomas tenet, intellectum seu rationem nostram absque immediato intuitu incommutabilis ac aeternae veritatis nequaquam sufficere ad efficiendum actum rationalem, aut evidentem, & certum; hinc expresse q. II a. I de veritate docet, quod lumen ac notitia primorum principiorum, a qua omnes actus rationales necessario pendent, a solo Deo immediate effici possit. Accipe propria S. Doctoris verba loco cit. *huiusmodi autem rationis lumen, quo principia huiusmodi sunt nobis nota, est nobis a Deo inditum, quasi quaedam similitudo Increatae Veritatis in nobis resultantis. Unde cum omnis doctrina humana efficaciam habere non possit, nisi ex virtute illius luminis, constat, quod solus Deus est, qui interius & principaliter docet, sicut natura interius etiam principaliter sanat.* Et ad XIII respondet: *quod certitudo scientiae sit ex lumine rationis divinitus interius indito, quo in nobis loquitur Deus.* Item p. I q. XVII a. VI ad I inquit: *Dicendum, quod anima non secundum quamque veritatem iudicat de omnibus rebus, sed secundum Veritatem Primam* (quae Deus est) *in quantum haec in anima resultat sicut in speculo secundum prima intelligibilia, idest, secundum prima principia*, Ita S. Doctor.

LV Unicuique enim rationis usum habenti compertum est, quaedam rationis aeterna dictamina, & effata, seu pronunciata infallibilia, ac veritates aeternas sibi naturaliter intus obiici, quae ex lumine naturae seu rationis dictantur, & sunt principia per se nota: v. g. *omne totum est maius sua parte. Impossibile est idem simul esse & non esse: sicut se res habet ad esse, ita & ad cognosci, & ad operari. Incorruptibile est dignius corruptibili. Aeternum praeponendum est temporali: fatuus est, qui amore corruptibilis & transitorii boni amittit Bonum incorruptibile & aeternum. Spiritus nobilior est corpore, & intellectus nobilior sensu. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Primo principio omnia sunt postponenda, nihil praeponendum ultimo fini. Vae tibi, si feceris contrarium. Veritas aeterna non est fallibilis. Falsitas non est ipsa veritas. Opinioni fallibili non est secure insistendum. Ipsum Bonum non potest esse malum. Infinitum non est minus finito. Omnis effectus infert suam causam. Nulla auctoritas fallibilis potest fundare fidem infallibilem. Quod est fallibile, falli potest, & fallere. Quod est infallibile, nec fallere potest, nec falli &c.* Modo perpendas volo: Lumen, quo principia huiusmodi, ex quibus alia pendent *infinita*, sunt nobis nota, est nobis a Deo inditum, quasi quaedam *similitudo increatae veritatis in nobis sicut in speculo resultantis*, prout num. praecedente est dictum. Bene id nota, & attente considera praestantis scientiae arcanum sane rarum; etenim si id tibi intimius perspectum observaveris, mirifico penetrantis luminis splendore totum te repletum gaudebis.

LVI Horum igitur principiorum *primus* dictator, effator, & pronunciator nequaquam est noster intellectus; hic enim nihil potest ut verum pronunciare, nisi ipse repererit aliquod iudicium seu principium *obiective* iam pronunciatum; non enim intellectus noster est, qui producit sive simplices sive complexas veritates, sed postquam eas repererit *obiective* iam formatas, & pronunciatas, eas deinde & ipse pronunciat; quia nunquam intellectus agit, nisi ab obiecto sic pronunciato moveatur, sicut oculus nunquam videt praeterquam per obiectum coloratum ad videndum impellatur. Dicta quoque principia vera sunt, etsi intellectus ad ea non advertat, aut etiam per errorem eisdem contradicat: neque ideo vera sunt, quia intellectus noster haec pronunciat, sed e contra ideo intellectus noster eadem pronunciat, quia vera sunt, & per se nota, quae non alio motivo, quam propria perspicuitate intellectum convincunt. Ergo alius primorum principiorum primus dictator & pronunciator est assignandus, nimirum obiectiva horum principiorum Ratio immutabilis, ipse Deus. * Hic unus & solus est radicale lumen rationis, primus promulgator *habitus principiorum*, *Synthereseos conscientiae* & ipsius *legis naturae*, ita ut omnia illa dictamina, effata, pronunciata sint *immediatae voces*, seu *verba* ipsius Dei, quibus etiam *naturaliter*, ac immediate mentem creatam alloquitur: quam suavissimam Dei loquelam intus sonantem mentis aure audivit D. Thomas, secundum quod dicit: *Certitudo scientiae est ex lumine rationis interius indito, quo in nobis loquitur Deus*, ut hic dicitur *n.* LIV. Audias igitur, quid loquatur in te Deus;

* Primus teste Ambrosio, ardor discendi est ipsa nobilitas magistri. Si nobilissimum, in quo omnes praeclari Doctores, Magistri, & Professores congregati spectantur, collegium, ad supremum Dei & Domini N. I. Christi nos intus docentis Magisterium referas, singulos illorum tanti Magistri, cuius nobilitas ipsa sua Divina Maiestas est, ceu infimos discipulos esse, qui eo plus, minusve tum naturalis tum supernaturalis scientiae, sapientiaeque aureum fluentum recipiunt, quo attentius, negligentiusve eundem audiunt, primo intuitu observabis. Illi e contra qui Divini huius Magistri, & Magisterii ex propria culpa se indignos reddunt, cum impiis Materialistis, quorum fides penitus extincta. & ratio vehementius confusa est, non sine turpi nota stultescunt. Tu, Benevole, si pretioso infallibilis scientiae, sapientiaeque thesauro ditatum te amas, fidelis, & humilis Dei, & D. N. Iesu Christi, qui lumine fidei, & rationis te intus docet, perfisto discipulus: totum te intra te recollige, ut, quid in te loquatur Magister Christus, audias clare & distincte. Et ecce, quantum in te, & ad te hic scientiarum loquitur Dominus, dum vivaciter te edocet I rerum omnium rationes veraciter, simpliciterque percipere, II perceptas rerum omnium rationes infallibiliter diiudicare, & III infallibiliter diiudicatas omnium rerum rationes immutabiliter demonstrare. Profecto nobilissimum Divinae Maiestatis idest Magisterium a cunctis Angelis, & hominibus audiendum, laudandum, adorandum ...

quia diu noctuque ad te loquitur omnem veritatem.

Unica infallibilis Ratio, Mensura, & Idea ad omnia discernenda & iudicanda, affirmanda & neganda, approbanda & reprobanda est Deus.

LVII Id ex praedictis indubitanter sequitur. Manifestae, ac speciosissimae huic veritati subscribit Doctor Angelicus, cuius aperta mens apparet non solum ex adductis *n.* XXIII & LIV. Sed etiam, & praecipue ex quaestione unica de spiritualibus creaturis art. X ad X, ubi sic loquitur: *Illud, quo iudicatur de duobus, quid sit melius, oportet esse utroque melius, si eo iudicetur, ut regula & mensura sic Deus est regula & mensura omnium entium, quia unumquodque tanto melius est, quanto magis optimo appropinquat, non vero si eo iudicetur, ut virtute cognoscitiva. Et sic per intellectum agentem iudicamus Angelum esse anima meliorem, licet intellectus noster agens non sit melior Angelo*. Haec Angelicus. Ergo S. Thomas pro universali mensura & regula omnium entium, tam supernaturalium, quam naturalium statuit Deum non solum in *essendo*, quatenus ens creatum sine eo esse non potest, sed etiam *in cognoscendo*, quatenus sine reflexione ad Deum tanquam infallibilem regulam a nulla potentia intellectiva cognosci possunt. An forte idipsum lectori modicae fidei videtur quid nimium? Capesis, donec una alterave vice secundae & tertiae partis huius operis momenta profundius inspexeris, convincens argumentum. Deus ter Optimus Maximus sicut est Entitas Perfectissima, Veritas Maxima, & Bonitas Optima, undequaque infinita, infinitis modis secundum maiorem & minorem Entitatis, Veritatis & Bonitatis conformitatem a creaturis existentibus & possibilibus est *participabilis*; ita haec sola & una Dei Entitas perfectissima, Veritas Maxima, Optimaque Bonitas est unica infallibilis Ratio, Mensura, & Regula ad omnia discernenda & iudicanda, ad omnia affirmanda & neganda, ad omnia approbanda & reprobanda; *Primum enim in unoquoque genere Mensura & Regula est omnium illorum*, etiam infinitorum, quae talis Mensurae perfectionem aliquo modo participant, aut participare possunt: & vel ideo Deus tuam animam ad suam creavit similitudinem & imaginem, ut per suam rationem ad vivum exprimeret Deum ceu universalissimam rerum omnium Rationem, iustissimam Mensuram, & infallibilem Regulam. Plura & maiora de eximio hoc argumento exspecta in subsequentibus paginis exhibenda.

Anima rationalis in rationibus aeternis cognoscit omne verum.

LVIII Audiamus ulterius, Lector benevole, Angelicam hanc linguam divina prorsus oracula promulgantem: sic enim incipit I p. q. LXXXIV

articulum V. Quod dicit Auguſtinus lib. XII Confeſſ. c. XXV Tom. I. Si ambo videmus verum eſſe, quod dicis, & ambo videmus verum eſſe, quod dico, ubi quaeſo, id videmus? Nec ego utique in te, nec tu in me, *ſed ambo in ipſa*, *quae ſupra mentes noſtras eſt*, *incommutabili Veritate*. *Veritas autem incommutabilis in aeternis rationibus continetur. Ergo anima intellectiva omnia vera cognoſcit in rationibus aeternis* . . Et ideo Auguſtinus in lib. LXXXIII c. XI. Loco ideatum, quas Plato formas rerum per ſe ſubſiſtentes, & a materia ſeparatas dixit, per quarum participationem dicebat intellectum noſtrum omnia cognoſcere: ut ſicut materia corporalis per participationem ideae lapidis fit lapis, ita intellectus noſter per participationem ideae lapidis cognoſceret lapidem. Loco harum idearum, inquam, poſuit Auguſtinus rationes omnium creaturarum in mente divina exiſtere, ſecundum quas omnia formantur, & ſecundum quas etiam anima humana omnia cognoſcit. Cum ergo quaeritur: *Utrum anima humana in rationibus aeternis omnia cognoſcat?* dicendum eſt, quod aliquid in aliquo dicitur cognoſci dupliciter, uno modo ſicut *in obiecto cognito*, id eſt *intuitive*, ſicut aliquis videt in ſpeculo ea, quorum imagines in ſpeculo reſultant, & hoc modo anima in ſtatu praeſentis vitae non poteſt videre omnia in rationibus aeternis, ſed ſic in rationibus aeternis cognoſcunt omnia Beati, qui Deum vident, & omnia in ipſo, vel ideo vere Beati.

LIX Alio modo pergit idem S. Doctor, dicitur aliquid cognoſci in aliquo ſicut in *cognitionis principio*, ſicut ſi dicamus, quod in ſole videantur ea, quae videntur per ſolem, & ſic neceſſe eſt dicere, quod anima humana omnia cognoſcat in rationibus aeternis, per quarum participationem omnia cognoſcimus. *Ipſum enim intellectuale lumen, quod eſt in nobis, nihil eſt aliud, quam quaedam participata ſimilitudo Luminis increati, in quo continentur rationes aeternae*. Unde in Pſal. IV dicitur: *multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?* Cui quaeſtioni Pſalmiſta reſpondet dicens: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, quaſi dicat; *per ipſam ſigillationem divini Luminis in nobis omnia demonſtrantur*. Quia tamen praeter lumen intellectuale in nobis exiguntur ſpecies intelligibiles a rebus modificatae ad ſcientiam *de rebus materialibus* habendam, ideo non per ſolam participationem rationum aeternarum de rebus *materialibus* notitiam habemus, ſicut Platonici poſuerunt, quod ſola idearum participatio ſufficiat ad ſcientiam habendam. Hucuſque Angelicus Doctor loco cit. Relege *n.* XXXIV & XXXV ibidem rerum omnium Rationes aeternas ad mentem S. Auguſtini ſolide explanatas reperies. Caeterum maneat alta mente repoſtum, quod duo eximii Doctores S. Auguſtinus, & S. Thomas de aeternis rerum omnium Rationibus tradunt documentum. Quod ſi

illud ceu salutare monitum attentus observaveris, auream profecto clavem ad immensum universalis omnium rerum notitiae thesaurum veluti in tua manu tenebis.

Anima nostra rationalis, quia est essentialiter & non pure ex accidenti imago Dei, non potest interius obiective ab alio immediate doceri, nisi a solo Deo.

LX Praedicta stabiliuntur ratione petita ex hoc, quod anima nostra sit imago Dei: est autem alia imago in actu primo, quam alii *imaginem creationis* appellant, & alia est imago consistens in actibus, vel in aliqua gratia superaddita, quam alii *imaginem reparationis*, aut *recreationis* nominant. Cum autem homo secundum intellectualem naturam ad imaginem Dei esse dicatur, secundum hoc, ut dicit S. Thomas * *Est maxime ad imaginem Dei, secundum quod intellectualis natura Deum maxime imitari potest*. Imitatur autem intellectualis natura maxime Deum quantum ad hoc, quod Deus seipsum intelligit, & amat. Unde imago Dei tripliciter potest considerari in homine: uno quidem modo secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum & amandum Deum, & haec aptitudo consistit in ipsa natura mentis, quae est communis omnibus hominibus, alio modo secundum quod homo actu vel habitu cognoscit Deum, & amat, sed tamen imperfecte, & haec est imago per conformitatem gratiae. Tertio modo secundum quod homo Deum actu cognoscit, & amat perfecte, & sic attenditur imago secundum similitudinem gloriae. Unde super illud Psalmi IV *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*, Glossa ordinaria, & sumitur ex Cassiodoro, distinguit triplicem imaginem scilicet *creationis*, *recreationis*, & *similitudinis*. Prima invenitur in omnibus hominibus, secunda in Iustis tantum, tertia vero solum in Beatis. Ita S. Thomas loco cit.

LXI Ex Angelicis hisce verbis sequens formatur argumentum: quod *essentialiter*, & non pure *ex accidenti* est alterius imago, non potest interius obiective ab alio immediate moveri, nisi ab eo solo, cuius est imago; sed mens nostra est *essentialiter*, & non pure ex accidenti imago Dei: ergo mens creata non potest interius obiective ab alio immediate moveri, nisi a Deo: ergo nec doceri. Quod mens nostra sit essentialiter imago Dei patet ex illo Genesis I: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quod menti omnino essentiale est; illud enim dicitur, & est cuique rei *essentiale* & sua essentia, secundum quod est a

* *S. Thomas I p. q. XCIII a. IV*

Deo creatum; unde ſicut mens noſtra eſt eſſentialiter imago Dei, ut ex dictis conſtat, ita etiam a Deo ſolo eſt immediate mobilis, & ab eo ſolo tamquam a ſuo vivo Prototypo poteſt immediate moveri ad agendum, & iuxta conditionem imaginis debet actuari, ſeu compleri, ſicut v. g. Species ſolis, ita ut poſſit potentiae cognoſcitivae de novo ingenerare conceptum ſolis, ſi naturaliter vult eſſe immediata ſpecies, & reſplendens imago ſolis, debet neceſſario immediate a ſole fieri, & ab eo pendere: ſi enim ad obiectam imaginem ſolis pictam, quam penicillus depinxit, ſolis recordor, haec recordatio non fit formaliter mediante pictura, ſed per ſpeciem a ſole productam prius habitam, de qua pictura ſolummodo me commonefacit. His adde modum operandi ſequi modum eſſendi; inde ſi anima rationalis imago Dei *eſt* ex eo, quia facta eſt *ad imitationem Dei*, in quo conſiſtit *ratio verae imaginis*, prout diſtinguitur imago a ſimilitudine; haec enim quantumcunque ovum v. g. alteri ovo faciat ſimile & aequale, non tamen facit unum ovum ab & ex alio ovo expreſſum, ſive ad imitationem alterius ovi factum, oportet, ut anima rationalis, ceu *imago Dei etiam operetur ad imitationem Dei*. Ita ſane oportet, id decet, aliud dedecet. . .



Nos ipſi ſumus viventes, ac ſubſiſtentes imagines, ac ſimilitudines Solis Intelligentiae, Dei viventis.

LXII Si autem contendas, amice lector, animam rationalem eſſe imaginem Dei non *eſſentialiter*, ſed puro ex *accidenti*, ſeu per aliquid ſibi ſuperadditum, ſicut v. g. mens per receptas & ſuperadditas ſpecies intelligibiles e. g. montis, ſtellae, auri, lapidis, ſecundum quod Philoſophi dicunt, intellectum fieri omnia, ſcilicet non realiter & eſſentialiter, ſed intellectualiter & repraeſentative tunc debebis admittere animam rationalem *non eſſe imaginem Dei, neque eſſentiam animae a Deo eſſe factam ad imaginem & ſimilitudinem Dei*, quia illa ſpecies imaginis eidem ſuperaddita ab ea ſeparari poſſet, adeoque etiam, quod ſit imago Dei per ſuas tres potentias rationales intellectum, memoriam, & voluntatem, quibus mediantibus Deum repraeſentaret, ab anima poſſet amoveri, quod eſſet totius animae utpote ad imaginem Dei factae deſtructivum & contradictorium; aut quomodo anima rationalis eſſet ſine ratiocinandi potentia? Ratio ergo imaginis, qua ſumus certo modo Deo ſimiles, & per quam Deum repraeſentamus, non eſt aliquid nobis praeexiſtentibus ſuperadditum, ſicut e. g. imago Regis dependet in aula regia, cuius parieti eſt ſuperaddita, nec eſt aliquid a Deo tamquam ipſomet eſſentiali exemplari in nobis, iam quoad eſſentiam noſtram perfectis ſuper productum, ſicut e. g. ſol corpo-

reus mittens sui speciem in speculum, secundum suum esse iam praeexistens, idem speculum facit imaginem solis per aliquid essentiae speculi superadditum, *sed*, nota bene, *nos ipsi sumus viventes, ac subsistentes imagines, ac similitudines ipsius Solis intelligentiae, sive Dei viventis, & hoc ipsum est nostra essentia, quidditas & natura*. Ita P. Valerianus Magnus a Mediolano Capuccinus in aureo suo opusculo *de Luce mentium*: noveris ex ungue leonem. *

* Si non tantum ex leonis ungue, sed & de facie, quis, quantusve hic Magnus Valerianus fuerit, vivacius nosse cupis, sequentem delineationem ceu eiusdem effigiem tibi offert nostri de Provincia Boemica Bullarium ordinis. Erat hic Valerianus ex Comitibus de Magnis de Mediolano oriundus a Venerabili Dei Servo P. Laurentio a Brundusio, cuius solemnis Canonizatio Romae non sine ingenti votorum spe agitatur, selectu Capuccinorum instituti firmatus, eum in virum evasit, qui teste Wadingo lib. de script. Ord. Min. non solum in re monastica, verum etiam politica Christiana, Principumque rebus maximis prudenter tractandis non vulgariter versatus, Ferdinando II & III Imperatoribus, ac Uladislao Regi Poloniae, praecipuisque Dynastis Germaniae, Bohemiae & Hungariae apprime charus & familiaris: scripsit opera tum Theologica tum Philosophica ultra triginta. Haec inter nequaquam minimum est *de luce mentium & eius imagine*, modicus equidem mole, at sententiarum pondere ingens tractatus, per quas ad contemplationem lucis creatricis, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, gradatim ascenditur. Atque hoc ipso tramite, Deo duce & P. Valeriano comite, in primam Imaginis Dei, & Solis intelligentiae notitiam non meo, sed miserentis gratiae merito, perductus fui. De hoc ipso Patre Illustrissimus ac Reverendissimus D. Ioannes Caramuel Episcopus non adulando in sua Theol. fundamentali fol. XIV scribit: Reverendi P. Valeriani Magni Capuccini pietati & ingenio multum debet Europa, multum Ecclesia: scripsit multa Philosophica & Theologica, quae cum fructu leguntur: edidit contra haereticos plurima, ut, quae qui legerit, esse Lutheranus, aut Calvinista non possit. Venerabilis istius servi Dei, ut iugis memoria in oculis, mentibusque posterorum perennaret, Celsissimus ac Reverendissimus Sacri Romani Imperii Princeps Archiepiscopus Salisburgensis Guidobaldus ex Comitibus de Thun &c. quem inter & Valerianum a multis annis amica viguerat consuetudo, eiusdem effigiem in feretro iacentis celebri penicillo depingi, & aeneae tabulae incidi curavit cum inscriptione.

R. Pater Valerianus Magnus Capuccinus Patria Mediolanus
ex Stirpe Comitum de Magnis:
Magnus Opere, & Sermone:
Pietate, Religione, & Doctrina Eximius,
Nominis sui implevit Omen,
Ad omnes in sua Provincia Austriaca Dignitatum gradus
evectus est.

Mens creata semper reputatur informis, nisi ipsi divinae Veritati inhaereat.

LXIII Quod autem essentialis imago Dei non possit interius obiective ab alio immediate moveri, nisi a solo Deo, cuius est imago, praeter alia argumenta iam insinuata constat etiam ex hoc, quod ea, quae essentialiter ut potentia & obiectum, ut principium & principiatum, ut mobile ac motivum, ut perfectibile & perfectivum se se respiciunt, non possint nisi ab invicem principiari, actuari, moveri, & perfici: sed imago, quae est *essentialiter* imago alterius, prout anima nostra essentialiter est imago Dei, & ipsum exemplar seu prototypon, quod ipse Deus est, sic se se respiciunt; ergo anima nostra non potest ab alio, nisi a solo Deo moveri, perfici, informari, actuari, & doceri, cum essentia animae rationalis sit esse imago cognitionis & appetitionis Dei capax respiciens suum exemplar, Deum, sicut potentia suum obiectum, sicut perfectibile suum perfectivum. Inde mentis creatae obiectum beatificum & expletivum est unus & solus Deus, secundum quod docet Sanctus Thomas *: *Dicendum*, ait, *quod rationalis mens formatur immediate a Deo, vel sicut imago ab exemplari, quia non est facta ad alterius imaginem, quam*

Missionarii Apostolici Munus per annos XXXV,
ardenti animarum zelo & fructu obivit,
Orthodoxae Fidei Propugnator, & Acatholicorum,
qua Dictis, qua Scriptis Insectator fuit acerrimus,
Hinc ab iis in Austria Superiori an. MDCXVIII prope Linzium
nodoso fuste mortiferas plagas pertulit,
Et pro Fide Catholica proprio sparso sanguine
purpurari meruit.
Legationibus quoque Magnatum saepe insigniter functus est.
Piis demum pro Christo & eius Ecclesia laboribus
senioque confectus,
Sacerdos Iubilaeus inter Crucifixi Redemptoris
amplexus & oscula placide obdormivit
in sui ordinis conventu Salisburgensi
XXIX Iulii MDCLXI.
Aetatis suae LXXV, & Religiosae Professionis LX.
Vivit post funera Virtus & Fama;
Quippe Posteritatem habens suis in libris & liberis,
Quos
Per Evangelium in Christo Iesu genuit.

En vivam, quam desiderasti, faciem Magni Valeriani, humilis, & pauperis Capuccini. Si miraris meam erga Venerabilem hunc Patrem observantiam, respondet tibi Ratio aeterna: Parentibus, & Magistris nunquam potest fieri satis.

* *S. Thomas I p. q. CVI a. I ad III.*

Dei: *vel sicut subiectum ab ultima forma completiva*, *quia semper mens creata reputatur informis*, *nisi ipsi divinae veritati inhaereat*. Aliae vero illuminationes, quae sunt ab homine vel angelo, sunt quasi dispositiones ad ultimam formam, quia si homo participaret lumen intelligibile ab angelo, sequeretur quod homo secundum mentem non esset ad imaginem ipsius Dei, sed ad imaginem angelorum. Subiungit S. Doctor * notatu satis dignum. **

* *Idem de spiritualibus creaturis a X.*

** Quod attestatur Iacobus c. I non tam meminisse, quam diligenter observasse iuvat: *si quis auditor est verbi*, *& non factor*, inquit Apostolus, *hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo: consideravit enim se*, *& abiit*, *& statim oblitus est*, *qualis fuerit*. Ne igitur similis culpae aut incuriae redargui possimus, nos ideo ad imaginem Dei esse factos, ut Immortalem Deum repraesentemus ad vivum, vigilantiori attentione consideremus. Si huiusmodi considerationis tam eruditum, quam foecundum requiras argumentum, id ipsum in pictore, ad quem scribit, Ganganelli subministrat adornatum. *Il Caraccio non avrebbe fatto nulla*, *con tutta la fierezza del suo pennello*, pergit in sua epistola ad praefatum, *se non avesse avuto quell' estro*, *che somministra dell'entusiasmo*, *e del fuoco. Vi si vede nelle sue pitture un certo spirito parlante*, *fervido*, *che rapisce*, *e si crede d'essere lui*, *quanto più si ammira e si gusta la verità delle sue immagini. Se in voi sarà quello spirito di questo grand'uomo*, *che vi siete scelto per modello*, *lo farete rivivere sulla tela. Anche che voi ne foste la pura sua ombra*, *sarebbe questo per voi un gran merito*, *perchè l'ombra d'un uomo grande è qualche cosa di reale.*

In ordine ad nostrae meditationis scopum occasione huius discursus de inferiori ad superna per comparationis gradum velocius ascendentes, materialem picturam cum spirituali imagine & pictorem hominem cum pictore Deo ea ratione, quae *n. XLII* practice exhibetur, breviter comparabimus. Et primo, quae ratio pictoris humani & divini, quae ratio spiritus picti, & quae spiritus vivi, quae ratio picturae materialis, & quae imaginis spiritualis, quae ratio umbrae hominis & quae expressionis Dei, & tandem quae ratio imitantis famosum pictorem, & quae ratio imitantis Deum omnipotentem, singula istorum primo simplice mentis nostrae perceptione, secundum quod haec simplex perceptio in I parte huius operis declaratur, definitiva aut descriptiva terminorum verborumque explicatione rite recteque intelligentes consideremus. Dein quae & quanta ratio pictoris Dei in comparatione cum pictore homine, quae & quanta ratio spiritus picti in comparatione cum spiritu rationali, quae & quanta ratio seu proportio picturae materialis in comparatione cum imagine Dei spirituali, quae & quanta ratio seu proportio imitantis famosum pictorem in comparatione cum imitante Deum omnipotentem, haec cuncta infallibili iudicio, secundum quod id ipsum in hac II parte fieri, & informari videmus, ceu incorrupti iudices discernamus. Quod si a nobis fideliter factum fuerit, & immensae, qua Deum dignum aestimamus, dilectionis cultum, & indefessae, qua auctorem nostrum ad vivum exprimamus, imitationis studium, ceu immutabile stringentis illationis emolumentum felices reportabimus.... En, quam augustum ex Ganganelli exordio fructuosae meditationis sacrosanctae Rationis Magisterio productum sit argumentum.

Quomodo Deus animam nostram ad suam imaginem per propositiones Rationis aeternae format, luculenter demonstratur.

LXIV Totum argumentum, quod hucusque productum est, confirmatur ad oculum & ad benevoli Lectoris iucundum intuitum. Mens creata seu anima nostra rationalis prout est essentialiter imago Dei, est essentialiter repraesentativa Dei, est essentialiter capax divinorum, ac aeternorum, est essentialiter capax rationis aeternae; atqui haec amplissima capacitas, quae se etiam ad divina & aeterna protendit, non potest perfici, non potest compleri per aliud finitum, per aliquid temporale, aut per aliquid creatum: ergo debet perfici, compleri, & satiari per aliquid aeternum, incommutabile & divinum. Idipsum demonstratur. Audisti, & legisti hic numero LIII mentem S. Augustini sine ulla dubitatione clamantem, *incommutabile praeferendum esse mutabili.* Propositio haec est veritas aeterna, forma, actus, & obiectum mentis Augustinianae, a qua forma informatur, a quo actu perficitur, a quo obiecto eius mens movetur, seu ut ipsius S. Doctoris verbis loquar, *aspergitur*, *maritatur.*

LXV Quaero iam ex te: propter quam causam temporali praeponendum est aeternum? An ideo, quia angelus hanc propositionem fecit, aut alius Doctor creatus hoc subiectum *incommutabile* per copulam *est* cum hoc praedicato *praeferendum mutabili* coniunxit? Quid si nullus angelus, nec ullus alius Doctor creatus exstitisset, aut exsisteret: an propterea *mutabile esset praeponendum incommutabili*, & *aeternum postponendum temporali*? Minime! tu reponis. At cur minime? Ideo, dicis, quia nihilominus *aeternum esset praeponendum temporali*, & *commutabile postponendum incommutabili*, etsi neque angelus, nec ullus creatus doctor exstaret: & sic recte sentis, & bene dicis, sed necdum satis; nam ut hoc tuum responsum habeat suum fundamentum, ulterius inquirendum, eximia enim hic aeternae Rationis latet margarita. Edicito igitur: cur nihilominus *aeternum esset praeponendum temporali*, & cur *commutabile postponendum incommutabili*, etsi neque angelus, neque ullus alius doctor exstaret? ... Cur taces? Quid haesitas? ... Tu es Philosophicus magister in Israël, & hoc ignoras? ... Auribus igitur manibusque ambabus, ea quae tibi dico, accipe: ecce ideo, & propter hanc *Rationem* id totum, quia ipsum *Ens aeternum* ex intrinseca, essentiali, & incommutabili aeternitatis suae excellentia causat, infert, & dictat aeternitatem suam infinitae aestimationis dignam esse, temporale autem propter suam inconstantiam, ac modicam in suo esse permanentiam modicae pariter & finitae aestimationis esse dignam, & ideo ab *aeterno exsistit* haec *aeterna* propositionis istius *veritas*: *aeternum est praeferendum temporali*, quia aeternum *est*, & non quia *dicitur*, aut *proponitur*, aut *aestimatur aeternum*. Sic pura & non mentita apparet veritas, ceu margarita pre-

tiosa, quae ut praeclarae Doctorum Laureolae inseratur, & matura videtur, & digna.

LXVI Apertis oculis iam conspicis, & ambabus veluti manibus apprehendis, nisi vehementer fallor, quisnam *informet*, *quis instruat*, quis *moveat* mentem Augustini, ut infallibili & incommutabili certitudine concludat: *aeternum est praeponendum temporali*. Nec angelus, nec homo, aut ullum aliud ens creatum, sed ipsummet Ens aeternum ex sua incommutabili essentia incommutabiliter hanc infallibilem veritatem docet: aeternum est praeponendum temporali; sed non est aliud ens ex essentia sua aeternum, nisi solus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ergo solus Deus velut Pictor omnipotens format, ac quasi depingit creatrice sua potentia tamquam penicillo, veritatibus aeternis ceu coloribus (sit venia allegoriae) animam rationalem ceu imaginem Dei iuxta exemplar, & prototypon divinae suae essentiae, sive rationis aeternae, quod demonstrationis istius erat propositum, & genuinae veritatis argumentum.

Philosophi libertini, ut se propositionibus aeternae veritatis opponant, modeste provocantur.

LXVII Quid de superiori discursu genuine sentit Philosophus libertinus? An & de hoc dubitat Philosophus *scepticus* seu *pyrrhonicus*, cuius solemne & universale philosophandi principium est *dubitare de omnibus*? Num & propositiones aeternae veritatis, quae viventis eloquia veritatis sunt, subtiliores eiusdem materiae *modificationes, motus, figuras, & combinationes* iudicabit *materialista* Philosophus? Ut autem ampliorem de materialistis, quam te exspectare praesumo, notitiam acquiras, moderno seculo eruditioni proficuam, eamdem tibi eruditus Montier supra iam nominatus communicat: * *Materialismus* sensuum potissimum oblectamentis innixus, & grata verborum, atque idearum iucunditate a quamplurimis libertinis expositus, latissime per universam Europam serpit. Materialismus illud Philosophorum dogma nuncupatur, quod omnia materiam esse statuit, ceteraque tenet, quae inde deducuntur. Qui ista amplectuntur, *materialistas* nuncupamus: numerosissimam scilicet sectam, ex multiplici diversoque hominum ordine compositam, & in varias etiam materialistarum classes distinctam.

LXVIII Primo est purus materialismus, quem qui tenent, *materialistae puri* nuncupati, nihil omnino a materia distinctum, nullos spiritus agnoscunt: integrum humanum compositum, nos homines puram esse materiam, animam humanam puriorem quamdam & subliniorem materiae portionem dicunt: *ideae*, *cogitationes*, *omnes actus animae purae illis sunt subtilioris eiusdem materiae*, *modifica-*

* *Metaph. I p. num. CLXVIII.*

tiones, *motus*, *figurae*, *combinationes*: nihil nostri post mortem superesse: nullum esse Deum: materiam esse aeternam, ab aeterno motum habuisse universum, infinitum, materiam ab aeterno semper motam Chaos composuisse: ex Chao alias semper, & alias atomorum, seu corporum combinationes emersisse, casu quidem factas, casu dissolutas, & in alios, & alios ordines transformatas, & transformandas: a Chao in illam rerum combinationem casu devenisse materiam, quae mundus hic aspectabilis exsistit. Mundi igitur materiam esse aeternam, formam, pulchritudinem, ordinem, figuram, magnitudinem, fines, originem fortuiti casus opus esse: mundum casu factum, casu solvendum, atque in alios subinde, & alios mundos seu atomorum, corporumque combinationes, solvendas etiam ipsas, & in aeternum mutandas transformandum. Habes purum materialismum, plurimorum huius temporis sciolorum, politicorum, libertinorum sectam, purum putum Atheismum. *Materialistae non puri* sunt, qui integrum quidem universum, animantia, & cetera puram materiam esse praetendunt, ac totam humanam speciem, omnes homines & seipsos machinas esse existimant: Deum tamen aliquem (spiritum aut materiam) fatentur, sed omnem Deo providentiam negant, mundumque illam habuisse originem, quam puri materialistae dicunt, admittunt, eo magis miseri, quod ipsum Deum statuant inscium & miserum, quia improvidum. En, in quam profundam turpissimorum errorum, vitiorumque voraginem vesana mortalium impietas sese abiiciat, dum ipsum Auctorem mundi quem singulae creaturae depraedicant, aut cultu divino non honorant, aut temerario ausu omnino negant. Sed ut numerosa tum Scepticorum, tum Materialistarum caterva aut convertatur, aut conteratur, invincibilis Rationis fortissima vi primo Scepticorum, deinde Materialistarum hostilem turmam expugnabimus.

LXIX Ostendat igitur Scepticus seu Pyrrhonicus rationem, ob quam rationabiliter de propositionibus aeternae veritatis dubitare possit. Quod si nullam rationabilem desuper dubitandi causam afferat, eumdem ex libro rationabilium delendum, & sive irrationabilibus bestiis, aut hominibus fatuis * adnumerandum praenoscat.

* *Tengo per certo* (scribit Ganganelli in epistola ad D. Stuart nobilem Scotum) *che al suo ritorno ella mi porterà quel piccolo manoscritto di Berklei, quel matto illustre, che s'immaginò non aver il mondo cosa alcuna di materiale, e che i corpi tutti esistessero soltanto idealmente. Che bello spettacolo per la ragione, se tutti que'letterati che traviaron colle loro opinioni si trovassero insieme, e che questa ragione, dopo essere stata in* incognito, *venisse colla sua luce ad illuminarli! Oh come resterebbero sorpresi, e al tempo stesso atterriti, loro ch'ebbero la vanità di reputarsi qual cosa più che inspirati! In ogni tempo il mondo fu dedito alle dispute, e agli errori, e ci dobiam chiamar fortunati in mezzo a tante oscurità, e contraddizioni, di aver un lume sicuro da prender il diritto sen-*

Neque enim cum aliis nisi *rationabiliter* operantibus praesentis operis argumentum agere cupit. Certo autem desipit, qui secundum ineptum Scepticorum principium, verius dicas, delirium, *de omnibus dubitandum*, tum cogitando, tum discurrendo procedit, vel enim Sceptico hoc suum principium, *de omnibus dubitandum*, est *evidenter certum*, vel *evidenter dubium*? Si evidenter ipsi certum, ergo ipsi non est dubium, nec de hoc & consequenter non *de omnibus* est dubitandum: si vero evidenter ipsi est dubium id suum principium, hoc ipso evidenter certum est illi, *quod sit ipsi evidenter dubium*: ergo iterum ipsi non est dubium, nec de hoc ipso, & consequenter non *de omnibus* est dubitandum: si autem illi nec evidenter certum, nec evidenter dubium est dictum suum principium, sed *simpliciter dubium*, tunc nequit esse de omnibus dubitandi prudens principium; inepte enim se resolveret, qui ex hoc motivo, quia mihi simpliciter hoc principium, *de omnibus dubitandum* videtur dubium, ideo de omnibus etiam certissimis, & evidentibus rebus dubito, & iam amplius nihil certi agnosco. Quod quam inconvenienter fiat, patet ex incommutabili ratione seu essentia *dubii*; nam *dubium est suspensio mentis inter duo contradictoria, ut in neutram partem, nec assentiendo, nec dissentiendo se resolvere possit.* Cum igitur Sceptico suum principium *de omnibus est mihi dubitandum*, sit simpliciter dubium, hoc ipsum principium adeo Sceptici mentem inter duo contradictoria suspendit, ut in neutram partem nec assentiendo:

tiero, io voglio dire della luce della rivelazione, la quale, ad onta di tutti gli sforzi degl' increduli, non s' estinguerà giammai. La religione non è come il firmamento, che talvolta ci sembra oscuro, ma non perciò diminuisce i suoi raggi. Le passioni ed i sensi son tanti vapori che s'alzano dal seno di nostra corruzione, e ci tolgon la vista de' lumi celesti; ma l'uomo che riflette, senza spaventarsi nè sbigottirsi, aspetta che ritorni il sereno. Non si sa forse, che quelle nebbie cagionate da'Celsi, da'Porfiri, dagli Spinola, dai Collins, da'Bayle, si son dissipate, e che quelle altresì della moderna filosofia avranno il medesimo fine? In ogni secolo son comparsi certi uomini singolari, i quali, ora coll'arme, ora col fanatismo, parea che dovessero annichilare il Cristianesimo; e son cessati poi, come appunto quelle tempeste, che non ad altro servono, che a render il cielo più sereno.

Deriva dal non aver principio alcuno il lasciarsi abbagliar da'sofismi: si considerano come insolubili certe spregevoli obbiezioni, per la ragione che non si sa nulla. Nella religione tutto è collegato, e combinato, e per poco che si lasci scappare una verità, tutto è tenebre, tutto è abisso.

Philosophi, qui supernaturalis Revelationis sunt inimici, pariter & Revelationis naturalis, quae *manifestatio Rationis* est, existunt hostes; infallibilis enim Ratio sicut Deum vivum, ita & non mutum Deum, sed eloquens esse verbum, quod se ipsum manifestat, evidenter demonstrat. Cum igitur naturale Dei & D. N. I. Christi Magisterium totum *Revelationis* sit Mysterium, quantae securitatis, quantae veritatis, & infallibilitatis idipsum censendum, nec non contra Revelationis hostes adhibendum sit, propria evidentia demonstratum conspicitur.

ita, de omnibus est mihi dubitandum, nec dissentiendo: *non de omnibus est mihi dubitandum*, se resolvere, & in actum exire possit, sed semper, usque dum *dubium* fiat *certum*, suspensus haerere debeat. Enormiter igitur errat, si de certitudine dicti sui principii *dubius*, & in utramque contradictionis partem suspensus, quasi de eodem *certus* de evidentissimis rebus e. g. *an aeternum praeponendum sit temporali*, & sicut de hoc, ita de *omnibus rebus* dubitat, ex quibus manifeste constat, quam stolide & insipienter, quia de omnibus dubitat, Scepticismus agat; proinde undequaque indignus, qui inter rationabilia Dei opera ullum mentionis locum inveniat. Scepticismo totaliter contrito, victricia *aeternae Rationis* arma in Materialismum vertamus. Atque ut incautos consulto stratagemate circumveniamus, in densis crassae ignorantiae tenebris sedentes, somniantesque occulte aggrediamur.

An somnia Materialistarum circa enunciationes aeternae Veritatis sint vera.

LXX Q*uasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia, & sicut parturientis cor tuum phantasias patitur: nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum*, praemonet de vanitate somniorum Ecclesiasticus, * *multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Somniant profecto Materialistae, dum *enunciationes* aeternae veritatis, omnes *ideas, cogitationes*, omnesque *ratiocinationes subtilioris eiusdem materiae puras modificationes, motus, figuras, & combinationes* esse dicunt. Tentemus: num vera isthaec sint somnia? Et ne contra Politiae leges vel venialiter peccemus, Materialistas sese *spiritus fortes*, Germanice *Starke geister*, glorianter nuncupantes, quo nomine mentem sublimiorem humanis & terrenis, aut vulgaribus praeiudiciis non infectam significant, contemtim tractare nefas foret; etsi vanitatem dicti tituli proprio facto palam ostendant, dum perversis praeiudiciis occupati Deum, religionem, propriaeque animae immortalitatem ex duplici hoc capite negant: primo quia aliquibus difficultatibus, quae contra aliqua Dei attributa obiiciuntur, quaeque a nobis aliisque resolvuntur, desperabundi, victique succumbunt, & praecipue secundo, quia sensuum oblectamentis irretiti, animalem vitam ducunt, ac sensualibus voluptatibus immersi, nec carnalibus desideriis resistere, nec mentem a visibilibus mundi huius deliciis se ipsos abnegantes, abstrahere satagunt; unde & de illis praedixit Apostolus **: *animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei.* Quo igitur potiori iure Materialistas *spiritus fortes*, & non convenientius *spiritus debiles Schvvache geister* nuncupare oportet? Sed quidquid sit de nomine, propius accedamus ad rem.

* *Ecclesiastici c. XXXIV v. II.*

** *Cor. II v. XIV.*

LXXI Ergone Materialista philosophe, vere & indubitanter ita sentis, sicut dicis omnia esse materiam, & nihil esse a materia realiter diversum, animam humanam puriorem quamdam & sublimiorem materiae portionem indicas: ideas omnes, rationes, & cogitationes, omnesque actus animae rationalis esse subtilioris eiusdem materiae modificationes, motus, figuras, & combinationes affirmas? Ita sane haec tua tuorumque, qui omnem spiritum negatis, circumfertur sententia. Igitur secundum tuam hanc doctrinam *haec idea, haec ratio, ac aeternae veritatis enunciatio*: *Ens perfectissimum est super omnia aestimandum*; *hic animae rationalis actus* iuxta te tuosque, a parte rei, & in veritate rei, non est aliud, nisi *subtilioris materiae, quae anima rationalis est, modificatio, motus, figura, & combinatio.* Repeto, ut, quam sincero tecum loquar animo, perspectum habeas, & denuo ex te suscitor: num vere & indubitanter, prout dicis, ita sentis? Idipsum affeveras constanter. Unde, quod minime exspectas, infallibiliter infero, & inverto: secundum Materialistarum sententiam haec idea, haec ratio, ac aeternae veritatis enunciatio, *Ens perfectissimum est super omnia aestimandum*, hic animae rationalis actus, a parte rei, & in veritate rei non est aliud, nisi subtilioris materiae, quae anima rationalis est, modificatio, motus, figura, & combinatio: Ergo, attendas bene, ergo haec combinatio, haec figura, hic motus ac modificatio subtilioris materiae, quae anima rationalis est, a parte rei & in veritate rei, non est aliud nisi haec idea, haec ratio, ac aeternae veritatis enunciatio: *Ens perfectissimum est super omnia aestimandum*, hic animae rationalis actus: ergo modificatio, & motus, ergo figura & combinatio materiae subtilioris, quae anima iuxta Materialistas rationalis est, a parte rei & in veritate rei non est aliud, nisi *Ens perfectissimum super omnia aestimandum*. Tenta, amice, num discursus hic, tibi hucusque forsan tam inauditus, quam inexspectatus, te aut se fallat, tenta, quaeso, & examina.

LXXII Eloquii istius combinatio quomodo placet Materialistis? Quid negabunt? Non antecedens, quia alias propriae doctrinae contradicerent: non subsequens, quia a parte rei, & in veritate rei non aliud est nisi ipsum antecedens secundum materialismum, qui nihil omnino, & prorsus nihil quidquam admittit a materia distinctum, adeoque fateri debebit, quod *Ens perfectissimum* nihil aliud sit a parte rei, quam combinatio & modificatio subtilioris materiae, & sicut iuxta materialismum *ratio entis perfectissimi* nihil aliud est nisi praedicta subtilioris materiae combinatio, pariter & *ratio entis perfectissimi* erit similis materiae modificatio, ex quo quanta prorumpat absurditas palam intuenti obviat; quia enim in materialismo ratio entis perfectissimi & ratio entis imperfectissimi a parte rei non aliud quidquam est nisi materiae subtilioris combinatio realiter distincta, seu ipsa materia, manifeste con-

ſtat, quod ratio entis perfectiſſimi, & ratio entis imperfectiſſimi ſit entitas aequalis omnino perfectionis, quia utriuſque ratio, ideſt, eſſentia, & conſtitutio non aliud praeterquam ſubtilioris materiae, quae anima humana eſt, entitative aequalis combinatio; neque enim combinatio a combinatione eiuſdem ſubtilioris materiae differt, ideoque ex materialiſmi principiis ens perfectiſſimum non plus perfectionis, quam ens imperfectiſſimum haberet, & e converſo ens imperfectiſſimum tantam perfectionem, quantam ens perfectiſſimum poſſideret, nec amplius unum alteri praeferendum, ſed quia tam entis perfectiſſimi, quam entis imperfectiſſimi aequalis foret entitativa perfectio, ens perfectiſſimum non ſuper omnia eſſet aeſtimandum, utpote ſicut aequalis entitativae perfectionis cum ente imperfectiſſimo, ita & non inaequalis aeſtimationis eſſet habendum; unde ſecundum dignum, & iuſtum procederet, qui *ens perfectiſſimum infra omnia aeſtimandum, ens vero imperfectiſſimum ſupra omnia extollendum*, diceret, quae quam abſurda ac falſa ſint, vel caecus videt. Nonne clarum ſatis?

LXXIII Quod ſi autem Materialiſta reſpondeat, prout debet, niſi ſponte delirare malit, ens perfectiſſimum non ſolum ab ente imperfectiſſimo, ſed etiam ab ipſa combinatione, motu, figura, & modificatione aliquid realiter eſſe diſtinctum; tunc hoc conceſſo admittit, quem prius negavit, verum ſpiritum. Quid enimvero eſt ens perfectiſſimum ab omni combinatione materiae diſtinctum? Non eſt materia, utpote ſicut ab omni combinatione, ita & ab omni materia eſt diſtinctum; quia nulla materia ſine combinatione, nec combinatio ſine materia iuxta Materialiſtas; ergo omne diſtinctum a combinatione diſtinctum hoc ipſo eſt etiam a materia: maxime quia combinatio realiter & entitative eſt ipſa materia; ergo ſicut ens perfectiſſimum non eſt combinatio materiae, ita nec eſt ipſa materia: Quidquid autem iuxta materialiſmum non eſt materia, eſt ſpiritus, quia omne ens aut materiale eſt, & vel ideo illud non eſt ſpiritus, aut ens ſpirituale, & vel ideo hoc non eſt materia, cum igitur ens perfectiſſimum materia non ſit, prout materialiſta fateri cogitur, ſpiritum eſſe neceſſe eſt.

LXXIV Ut autem materialiſmus, ceu ruitura turris, propriorum lapidum cumulo ſepeliatur, in ſpeciale charitativae benevolentiae teſtimonium, qua omnes Materialiſtas in oſculo veritatis complector, ſingulosque a certa ruina ereptos cupio, praetermiſſis innumeris propemodum, quibus apertam falſitatem iſtius ſerpentis erroris demonſtrando integrum volumen non haerente, ſed volante calamo compleri poſſet, evidentiſſimis argumentis unum, alterumve adiungo. A materia aliquid diſtinctum Materialiſta agnoſcit nihil, inde omnem ſpiritum, & ſpirituale totum negat, ac ſpiritui *materiam cogitantem* ſubrogat; non ſpiritus ratiocinans putat ipſe, ſed ſolummodo

materia cogitans * in hoc universo exsistit. Haec tua idea, Materialista, haec perceptio & enunciatio tua, *materia cogitans*, praesentis discursus est argumentum. Primo aspectu *materia cogitans* signat impossibilem hircocervum, ferrum ligneum, saxum stramineum, idest, ut clarissime procedamus: *materia cogitans* est *corpus-spiritus* & *spiritus-corpus*, seu *corpus spirituale* & *spiritus corporeus*. Audiamus demonstrationem. Vel materia est ex sua essentia cogitans, vel non est ex sua essentia cogitans? Si materia est ex sua essentia cogitans, tunc ex sua essentia est *spiritus*; spiritus enim non est aliud, quam *ens ex sua essentia cogitans*, seu cuius natura & essentia est posse cogitare, intelligere, velle. Sed iuxta Materialistam materia est ex sua essentia cogitans, quia idipsum cum tota sua familia dicit, & docet: *materia est cogitans*, ex quo simul concludit: *ergo nullus exsistit spiritus*. Adeoque quia materia ex sua essentia iuxta te est cogitans, per te quoque est spiritus: ergo exsistit spiritus. Si vero iuxta te, Materialista, materia non est ex sua essentia cogitans, tunc neque *materia est cogitans*. Nota bene; verbum substantivum, *est*, non solum copulam, sed & *essentiam* exprimit. Sicque evidenter verum erit: *materia non est ex essentia cogitans*, & vicissim: *cogitans non est ex sua essentia materia*. Si autem materia non est ex sua essentia cogitans, & cogitans non est ex sua essentia materia, cogitans est essentialiter a materia, & materia essentialiter a cogitante distincta, adeoque, quod cogitans sit essentialiter a materia distinctum quid, evidenter ac palpabiliter constat: ergo falsum est sectae tuae

* Singulariter tum observandum, tum discernendum hic occurrit, quod verbum, *cogitare*, *cogitans*, in proprio suo sensu accipiatur, in quo non idem ac vulgariter cognoscere, aut imaginari, sed rem studiosius perpendere, ac considerare, seu idem ac, *intelligere*, aut *ratiocinari*, significat, utpote quia hic non animae sensitivae brutorum, sed spiritui ratiocinanti opponitur. Dum enim Materialistae omnem spiritum ratiocinantem aut intelligentem negant, materiam cogitantem affirmant dicendo: *Datur materia cogitans: ergo nullus datur spiritus ratiocinans*. Sive: nullus datur spiritus cogitans, ergo datur materia ratiocinans. Atque hoc discrimine bene notato tam solide, quam facile respondetur ad id, quod ceu Achilles a materialismi patronis communiter obiicitur: *Quod cogitat est spirituale*: Sed animae brutorum cogitant; ergo animae brutorum sunt spirituales: atqui tamen pereunt morte cum corpore brutorum animae: ergo licet mens humana spiritualis sit, minime sequitur eam esse immortalem. Hoc infert Materialista. Cui respondendum distinguendo: Quod *cogitat proprie intelligendo*, *seu ratiocinando*, illud est spirituale seu spiritus, concedo: quod *cogitat improprie* scilicet *sentiendo*, & *imaginando*, illud est spiritus, nego. Animae brutorum, quia *Rationis* capaces non sunt, nec intelligendo, nec ratiocinando operantur: aut quos libros, & quos discursus unquam ediderunt bruta? sed solummodo sentiendo, & imaginando, ideo non animae *spirituales*, sed *materiales* sunt. Vide infra *n*. CLVI. *

documentum, quod nihil a materia admittit distinctum, & propterea nullum agnoscit spiritum. Unde vel *materiam esse spiritum*, vel & *materiam* esse & *spiritum exsistere*, indubitanter concedere coactum te vides: aut quid te prohibet exsistentem *spiritum* supra *materiam* admittere, ut tandem aliquando sapere incipias, & diutius stultescere desinas?

Materialismum omni principio, & fundamento carere palam ostenditur.

LXXV Coruscantibus hisce aeternae veritatis radiis, qui ex hucusque dictis copiose promicant, non possunt Materialistae non videre, quantum oraculum illud circa ipsos adimpletum sit, quod a Sapientia scriptum legitur: *Ergo erravimus a via veritatis, & iustitiae lumen non luxit nobis, & SOL INTELLIGENTIAE non est ortus nobis.* Quare ut felicissimum hoc sidus, quod lucem inhabitat inaccessibilem, cuncti materialismi patroni ceu in rutilante aurora conspicere valeant, eorumdem fundamentum, cui eorum opinio insistit, quam inane, & ruinosum, sit in singularem favorem paucis exhibeo. Praecipua sistematis materialistici capita, totidemque eiusdem angulares lapides traduntur haec quatuor supposita: I materiam esse rem cogitantem: II materiam esse ens necessarium, ab alio non dependens, & aeternum: III totam huius spectabilis mundi universam structuram casus fortuiti esse effectum: IV tam ista, quam reliqua systematis corollaria ex illo veterum principio: *ex nihilo nihil fit*, secundum eorumdem sensum accepto potissimum deduci. *Ex nihilo nihil fit*, arguunt; ergo materia non est facta ex nihilo: aeterna igitur est & increata, propterea a nullo dependet: ergo est ens plane necessarium: cumque ens necessarium esse possit unicum, praeter materiam aliud exsistit nihil: materia igitur cogitat, mundusque totus nihil nisi materia est: non ergo est Deus ens aliquod spirituale a materia distinctum. Haec totius materialismi synoptica spectatur figura, parum spectabilis, quia pure fictilis. *

* *Materialismi* nomen ut plenius perspicias, sub hoc ipso titulo tum *Atheismum*, tum *Atomismum* significari scias, utpote istorum omnium eadem *materia*, quae corpusculis, seu *atomis* minimis constat, primum rerum omnium principium, & negare Deum & spiritum velut ultimus eorumdem finis noscitur. Propterea idipsum, quod de *materia* dictitabant, de *atomis* quoque intellectum volebant. Igitur singuli eorum, qui Atomismum, Atheismumve sequebantur, sese & Materialistas, & Atheistas, & Atomistas palam profitebantur, ut stabilito Atomismo eorundem pravitatem nulla exsistentis Dei, nulla ab atomis distincti spiritus expugnaret necessitas. Proinde Christiana, quae inter Catholicos tot Atomistas videt, merito stupescit Religio, dumque & Christiani Atomistae *immutabilis consequentiae vi*, quam Atomismi supposita ratio dictat, & *atomos ab aeterno fuisse*, & *Deum nullum esse*, sentire deberent, contrito ex corde ingemiscit ... Ut igitur sit, quod afflictam, piamque hanc matrem dulciori reficiat solatio, recta Ratio suae charita-

LXXVI Remotius, longiusque Materialista Philosophus a Philosopho Christiano, quam infima terra a supremo Caelo distat, ut intuenti evidenter constat. Certissima igitur oportet esse principia, quibus in tam longinquam provinciam se duci permittat Materialista, & merito, & iure maximo primae stoliditatis nota inureretur, si super labilem arenam suam aeternam felicitatem imponeret. Edicito igitur, amice Materialista: illud tuum principium, per & propter quod & ex quo materialismum deducis, & toto Caelo a Philosophia Christiana discedis, vel est principium in se evidenter certum, certo infallibile, & infallibiliter aeternum, ac incommutabile, vel non est in se tale? Si tuum in se principium, non est evidenter

---

tis & obligationis haud immemor maturius, profundiusque disquirit: *An atomi sint principia rerum*? atque ut ordinate procedat, quid nomine *atomorum* veniat, & quae illarum *ratio* sit, praescire desiderat. Iusto illius desiderio satisfacturus respondet P. Seudsach Benedictinus in suo *Atomismo vindicato* " nomine *atomo-* '*rum* venire *substantias corporeas*, *sensibi-* '*les quo ad se*, *completas*, *simplices & mi-* '*nimas*. Explico per partes (sunt verba ' memorati) Dixi I *substantias*, nam ato- ' mus *A* se sola naturaliter etiam subsi- ' stere potest sine atomo *B*, imo extra ' omne mixtum naturale, quia huic con- ' tingenter solummodo, & per accidens ' inexistit ut pars integralis. Dixi II, *cor-* '*poreas*; habent enim partes in *longum*, ' *latum*, & *profundum* realiter extensas, ' physice distinctas, naturaliter tamen in- ' separabiles, & seorsim etiam per Deum ' inconservabiles. Ex quo sponte sua fluit, ' eas esse ingenerabiles, & incorruptibi- ' les, quia non possunt secundum unam ' partem manere, secundum alteram vero ' desinere, sed si fiunt, aut pereunt, se ' totis fieri debent, aut perire. Dixi III '*sensibiles* non quidem *quo ad nos* ob ni- ' miam exilitatem suam, & crassam sen- ' suum nostrorum hebetudinem, sed *quo* '*ad se*, utpote certa mole, figura, & ' magnitudine praeditas. Dixi IV *com-* '*pletas*; non enim repugnat, atomum ab ' intrinseco, & *in esse entis* esse quid com- ' pletum & actuale, ab extrinseco tamen, ' & *in esse mixti* esse quid incompletum ' & potentiale, ut patet in lapide respectu ' domus. Dixi V *simplices*, non simpli- ' citate omnes excludente partes reales, ' qualis reperitur in spiritibus, sed sim- ' plicitate partes seorsim conservabiles re- ' cusante, quia partes minimorum sunt ' integrales & essentiales simul. Dixi VI ' *minimas*, quia respuunt physice in mi- ' nora diffindi... Oportet autem atomos ' diversis instructas esse figuris, figura enim ' est corporis quanti terminata extensio; ' nam atomus *ignea* habet *aliam naturam* ' ab atomo *aquea*, sic aliam quoque de- ' siderabit figuram ab ista, ut proin se ' non habeant sicut unitates in numero, ' sed sicut literae in alphabeto.

' Idem Atomista ad quaestionem: *an* ' *omnes atomi sint eiusdem naturae*? respon- ' det: quamquam Atomistae haud inviti ' conspirent atomos esse *corporeas*, *quan-* '*tas*, *extensas* & *figuratas*, quod perti- ' net ad *rationem genericam* illarum, & ' quatenus praecise corpora sunt, circa ' speciem tamen physicam atomorum ci- ' vile inter ipsos bellum exarsit, dum ali- ' qui *eiusdem* dumtaxat, alii *diversae spe-* '*ciei entitativae* minima reperiri conten- ' dunt, ita, ut alia sit ignea, terrea, ' aquea, aërea: item alia lignea, lapi- ' dea, aurea &c. Iam vero atomos esse ' specie entitative diversas sequentibus ' probat argumentis. I Si nullae atomi

certum, tunc est evidenter incertum: si non est certo infallibile, tunc est certo fallibile: si in se non est infallibiliter aeternum, ac incommutabile, tunc in se est infallibiliter transitorium, ac commutabile: ergo evidenter certo, atque infallibiliter constat tuum principium, ex quo deducis materialismum, nullum esse principium certae scientiae, sed sectae certo erroneae, & infallibiliter falsae. Quid in ista illatione conspicis, quod non evidenter manifestum sentis?

LXXVII Si autem tui materialismi principium in se est evidenter certum, certo infallibile, infallibiliter aeternum, & incommutabile est. Explica: *quid est in se*, & *quod est hoc* in se evidenter certum, certo infallibile, infallibiliter aeternum, & incommutabile principium? Iuxta tuum systema isthoc principium est *cogitantis mate-*

' essent *quantae*, non posset ex illis consur-
' gere *quantum*: ergo etiam si nullae atomi
' forent *aureae*, vel *carneae*, nunquam
' posset ex illis consurgere mixtum *auri*
' vel *carnis*. II Atomus *ignea*, eadem est
' ratio de aliis, habet aliquid per iden-
' titatem, quod non haber atomus *aquea*,
' & hoc non est ratio corporis *quanti*,
' *extensi*, aut *figurati*; haec siquidem prae-
' dicata conveniunt etiam atomo *aqueae*;
' ergo (infert Atomista) erit *ratio calo-*
' *ris* & *madoris*,, Consequenter atomi non sunt *aequales*, prout Democritus voluit. Sic, inquam, infert Atomista: quid autem infert ratio fundata ?.. Ex descripta *ratione atomorum*, earumdemque *diversitate* vix aliud inferre potest praeterquam .. *Ergo quaelibet atomus est physice composita ex materia prima & substantiali forma, quae in recto, ac entitative a materia est distincta*. Parcas Benevole, si Atomista, aut Atheista, sive Materialista sis, parcas sincerae Rationi, etenim haec sola contra Atomisticam sectam progreditur in aciem. Audiamus, quam suae conclusionis producit demonstrationem. Secundum praedicta, quae Atomista pro suis atomis posuit, fundamenta omnes & singulae atomi habent aliquid *commune*, quod est ratio corporis *quanti*, *extensi*, aut *figurati*, quia quaelibet atomus est *quanta*, *extensa* & *figurata*, & insuper habet aliquid *speciale*, sicut iuxta dicta Atomistarum atomus *ignea* habet aliquid per identitatem, quod non habet atomus *aquea*, & hoc non est ratio corporis *quanti*, *extensi*, aut *figurati* . . . Atqui hoc ipsum *commune* est ratio *subiecti communis*, seu materiae primae, & id *speciale* est ratio substantialis formae *n.* LI ' ex primis fundamentis demonstratae: per *materiam* enim nihil aliud quam subiectum commune pluribus formis specie vel numero differentibus intelligitur; per *formam* vero *substantialem* idipsum entitativum, quod v. g. atomus *ignea* in se habet, & atomus *aquea* in se non habet, significatur; atque per hoc entitativum atomus *ignea* ab *aquea*, non minus quam entitative, idest, substantialiter seu essentialiter distinguitur. Confirmatur. Ratio essentialis atomi *igneae* vel est ipsa essentialis ratio atomi *aqueae*, vel non est? Si est? Ergo essentia atomi *igneae* est simul ipsa essentia atomi *aqueae*, quod pugnat contra totam naturam. *Vide num.* XXXIV *item n.* XL & XLI. Si autem non est? Ergo atomus *ignea* ab *aquea* per *aliam essentialem rationem*, quam in se habet, & eamdem atomus *aquea* in se non habet, *essentialiter*, idest *substantialiter* distinguitur.. Atqui haec essentialis ratio distinctiva est ipsissima *substantialis forma a materia*, quae omnibus atomis communis est, entitative & essentialiter distincta: ergo atomi componuntur ex forma

riae modificatio, *figura*, *& combinatio*, vix enim aliud desperatae tuae causae, quod prodesset, superest responsum; quia iuxta materialismum, qui nec spiritum nec spirituale sustinet, *omnis idea*, *& perceptio* mentis, ac omnis *enunciatio*, *& illatio rationis* est materiae cogitantis modificatio, figura, & combinatio, (*vide n.* LXVIII LXX, & LXXI) & bene notandum, quod istam explicationem omnis ideae, omnis enunciationis, & omnis ratiocinationis omnes materialistae necessario & inevitabiliter debeant in responsis dare, alias cogerentur fateri omnes ideas, omnes enunciationes, & ratiocinationes, consequenter & omnia principia rationis esse modificationes non cogitantis materiae, sed *spiritus cogitantis*. Cur autem istam tuam responsionem notatam velim, Materialista, in causa est tibi tuisque formidabilis sequela, quae ceu sagitta emissa in suum auctorem resilit, eumque occidit. Intentus ausculta! Iuxta tua concessa, & iuxta tui materialismi dogmata omnis idea & omnis perceptio mentis, omnis enunciatio, illatio, & omne principium rationis in se non est nisi materiae cogitantis modificatio, figura, & combinatio; omnis autem modificatio, figura, & combinatio materiae cogitantis secundum tui systematis proprium dogma non est *aeterna*, sed temporalis, & transitoria, non increata, sed factitia, & ideo non immutabilis, sed mutabilis, & quia mutabilis, non est infallibilis; sicut enim mutari, ita & fallere, & falli potest, adeoque, quia fallibilis, non evidenter certa, sed incerta, utpote cum certum non sit, an fallibilis non fallat, aut fallatur, an mutabilis, hic & nunc non mutetur: ergo iuxta propria materialismi concessa nulla idea aut perceptio mentis, nulla enunciatio aut illatio rationis est evidenter certa, nulla certo infallibilis, nulla infallibiliter incommutabilis & aeterna: consequenter sive materialistae sive materialismi principium iuxta suum proprium systema in se est nullum evidenter certum, nullum certo infallibile, nullum infallibiliter incommutabile & aeternum, & hoc ipso omne materialismi principium nullum principium. Et quia scientiae cuiusdam principium idem ac fundamentum sit, ideo sicut materialismi nullum principium, ita & fundamentum nullum. En spectaculum, totum materialismum propria ruina prostratum

entitative a materia distincta, ideoque non atomi, sed materia & forma entitative distincta rerum materialium sunt prima principia: infert Ratio fundata, ceu infallibilis Iudicii enunciatio, necnon immutabilis illationis demonstratio; quae quemlibet Atomistarum animosius ad pugnam provocat, si quispiam illorum omnium, quod in devictae partis suae subsidium opponat, sufficiens argumentum reperiat . . . Atomista multum dicit, & parum, imo nihil probat, quod ex his, quae a P. Seudsach hucusque dicta, & nullatenus probata sunt, abundanter constat . . . Contra totum Atomismum, quam iusta Ratio fert, Crisis sane terribilis . . .

atque sepultum! Funus nulla commiseratione dignum.

LXXVIII Quid, quantumque materialismi sit principium, irretorto oculorum intuitu conspicimus; nunc eiusdem quod primum, praecipuumque fuerit, inquirimus. Id ipsum, quod numero LXXV legimus, *ex nihilo nihil fit*, esse compertum habemus ex ipsa deductione, qua suum dogma statuunt materialistae. Celeberrimum isthoc adagium: *ex nihilo nihil fit*, in duplici sensu, in quo a sana Philosophia acceptum semper fuit, certum, & per se evidens exstat principium, naturali rationis lumine manifestum. Primus genuinus est sensus: *Nihil nullius rei seu nullius effectus potest esse causa.* Alter verus sensus est: *nihil nullius rei potest esse subiectum, ex quo aliquid fiat, vel quod aliquam formam accipiat*: seu *ex nihilo tamquam ex subiecto nulla res potest educi.* His genuinis sensibus materialistae addunt tertium & perversum: *nulla res de novo creari potest,* * *quae antea iam ab aeterno non fuerit.* Hic igitur sensus est tota virtus, tota certitudo, tota infallibilitas, tota immutabilitas, imo, & aeternitas istius materialistici principii, *ex nihilo nihil fit*: atqui ista virtus est infirma, ista certitudo est dubia, ista infallibilitas deceptiosa, ista immutabilitas variabilis, & ista aeternitas est nulla. En, quam perversum hoc sit principium! Sed petis afferti argumentum. Accipe demonstrativum: Illud, quod est formalissime in quaestione, seu de quo adhucdum quaeritur, an sit, vel non sit? illud adhucdum est dubium & incertum, adhuc fallibile, mutabile est, & variabile, in ordine ad cognoscentem, & quaestionem proponentem: atqui formalissime est in quaestione: *An nulla res de novo creari possit, quae antea iam ab aeterno non fuerit: an vero aliqua res de novo creari possit, quae antea ab*

* *Ecco dunque* (finit suam ep. Ganganelli ad D. Stuart nobilem Scotum) *balbettato alquanto sopra un soggetto, che voi sapete più di me; ma così va, una frase tira l' altra, e insensibilmente si osa discorrere di quelle cose, che non si sanno. Così si fa nello scriver le lettere: s' incomincia senza pensare a quel, che s' ha da dire. L' anima quando viene a raccogliersi dentro se stessa, si stupisce con ragione della propria facondia. Questa è una viva immagine della produzione dell' universo che è uscito dal nulla; perchè alla fine un nostro pensiero, che poco fa non esisteva, scappa fuori in un tratto, e ci dà a conoscere, che la creazione, come vorrebbero certi Filosofi alla moderna, non è in realtà una cosa impossibile.*

Si una epistola, quae nunquam exstitit, & ex mente progreditur, viva imago productionis mundi ex nihilo esse conspicitur; quanto magis idipsum per omnes litteras, librosque, qui a constitutione mundi hucusque producti sunt, etsi paullo ante simul omnes nihil fuerint, fortiter & evidenter comprobatum cernitur. Quid singulae creaturae aliud ceu tot litterae, & totum creaturarum, seu litterarum complementum quid nisi integrum, in quo Dei admirabilis virtus & maiestas ad vivum describitur, naturae librum componunt, dum omnia, quae antea nihil erant, ceu tot litterae per ipsum Omnipotens, quod Deus est, Verbum facta, & creata sunt...

aeterno non fuerit? Soli materialistae respective pauci tenent negativam; affirmativam vero defendunt philosophi innumeri: ergo tuum materialismi principium: *ex nihilo nihil fit*, seu quod idem & huius tuus sensus est: *Nulla res de novo creari potest*, *quae antea iam ab aeterno non fuerit*, est evidenter dubium, evidenter incertum, evidenter fallibile, evidenter mutabile, & evidenter nullum principium. Consequenter totus materialismus, quia sine omni fundamento, & sine omni principio plane confictus, est non verum, sed inane & vanum somnium, ac mentis delirium. Si secus, amice, te vindica, & an non evidenter devictus sit materialismus, ac in suo principio suffocatus indifferenter considera, & si Materialista sis, te totum emenda!

Patronis materialismi suadetur spectabilis mundi huius causam non esse casum fortuitum.

LXXIX Ut charitas sincera, qua te tuosque, Materialista, amplexus sum testante numero LXXIV, nunquam excidat, & in nullo deficiat, prioribus argumentis ceu totidem intimae amicitiae mutuaeque confidentiae tesseris, quaedam insuper addenda existimavi motiva, quibus a semita erroris & perditionis, in quam nescio a quo inductus fueras, in viam veritatis & aeternae salutis te revocarem, & in primis non possum absque modesta reprehensione tertium systematis tui caput, in quo *huius spectabilis mundi universam structuram fortuiti casus effectum dicis* numero LXVIII, & LXXV sola voluminis versione praetermittere; enimvero tu hic duo, causam & effectum assignando, totius mundi admirabilem structuram putas effectum causae, quae alias *casus* nominatur. Sicut ex fructibus arbor, ita ex effectu causa cognoscitur; primo igitur effectum mundi universam structuram, deinde causam nimirum *casum* pro operis huius brevitate examinabimus. Mundani huius universi structura ordinatissima eiusque ingeniosissima compositio tam stupenda est, ut omnem humani intellectus aciem superfugiat. Materialistarum nullus, qui ope anglici teloscopii animalcula, quae nudo oculo vix visibilia caseum rodunt, in forma & magnitudine maioris cuiusdam porci observaret, horum minutissimorum vilissimorumque corporum naturam, texturam, intimumque mechanismum intelligit; si autem in minimo totus Materialisticae intelligentiae nervus deficit, qua arte totius globi terrestris constructio, omnium partium dispositio, quomodo tot viventium, animantiumque multiplicia genera hominum, animalium, avium, piscium, quomodo miram horum omnium rempublicam, leges, mores, species, propagationes, vivendi formam, quomodo elementorum temperiem climatum, ac locorum discrimini accommodam intimius perspectam habebit? aut forsitan ille ipse, qui minimi animalculi texturam capere non sufficit, totius Universi admirabilem structu-

ram facilius comprehendere valebit?

LXXX Pergamus, atque ideali itinere a minori ad maius, ab inferiori ad superius, a mundo terrestri ad caelestem usque ascendamus, & per totum hoc universum peregrinantes non perfunctorie, ut a terricolis viatoribus fieri assolet, observemus: num immensus fere hic effectus suae a materialistis assignatae causae, quae *casus* dicitur, sit proportionatus? Quantum valemus, oculos nostros, nostramque imaginandi vim per ingens hoc rerum materialium spectaculum, per aërem liberum, atque stellatum firmamentum circumquaque volvamus. Quaeque de hac materia indubia sint, astronomicos calculos consulamus. Quaenam enimvero vastissimi universi magnitudo & interminata prope capacitas, quisnam rerum, phoenomenorum, motuumve ordo semper constans, atque immutabilis vicissitudo, quanta caelestium corporum omnium ac motuum exacta harmonia, totiusque universitatis rerum pulchritudo per maius quam quinque millium annorum spatium continuo ad hanc usque horam est ab omnibus observata? Ex abundantissimo tot mirabilium spectaculo nostrae contemplationi, Lector benevole, unum solummodo argumentum propono. Triginta leucarum milliones a nobis terrae incolis solem * distare dicunt moderni astronomi, leuca autem secundum mensuram gallicam MD passibus producitur, plusquam trecentos milliones a nobis remotum esse saturnum ostendunt. Solaris vorticis diametrum ultra sexcentos leucarum milliones extendi, stellas fixas nobis proximiores ducenties saltem magis a nobis removeri, quam saturnum: earum igitur orbitae diametrum plusquam LX. M. leucarum milliones continere nos certos volunt. Singulae praetèrea stellae totidem sunt soles

* *L'istoria della natura* (sunt verba Ganganelli ad Principem *di San Severino*) *diventa un libro chiuso a tutte le generazioni, se queste non vi sanno discernere un Dio Creatore, e Conservatore, perchè non v' è cosa che sia' cotanto sensibile, quanto la di lui azione. Il Sole, così magnifico, e sorprendente com' egli è; il Sole, quantunque adorato da diverse nazioni, non ha però nè intelligenza, nè discernimento alcuno; e se il suo corso è talmente regolato, che non lo interrompe neppur d' un momento, dipende dall' impulso, ch'egli riceve da un Agente Supremo, i di cui ordini egli eseguisce colla maggiore esattezza... Non si parli mai delle creature, se non che per avvicinarci al Creatore. Esse sono il riverbero della di lui luce indeficiente... E l' assicuro altresì di non provar io mai una soddisfazione maggiore, che allora quando mi si porge l' occasione di parlare d' Iddio. Egli è l' elemento del nostro cuore, e non in altro sa dilatarsi, e ricrearsi l' anima nostra, se non che nel di lui amore.*

Sacrato huic Ganganelli eloquio, cuius verba spiritus & veritas sunt, applica argumentum ex hac Ratione: *Quidquid movetur, ab alio movetur*, petitum, quod infra *n.* CXVIII & *n.* CXXVI & seq. clarius productum reperies; & quem nulla Atheistarum aut Materialistarum vel vis, vel fraus unquam expugnabit, fortissimum admiraberis discursum.

noſtro planetario haud diſſimiles, aut etiam maiores, tam remote a ſe invicem, atque a noſtro ſolo diſiunctae. Quod ſi ex iiſdem ſtellis ſol noſter obſervaretur, aut omnino non diſcerneretur, aut nonniſi ut parva quaedam ſtella fixa agnoſceretur: aliae adhuc tam ſuper, quam praeter alias exſiſtunt ſtellae. Globus noſter terraqueus aut planetae ſolares ne quidem opticis, maximiſve teleſcopiis ab ulla fixarum ſtella diſcerni poſſent.

LXXXI In ampliſſima hac rerum univerſitate, infinita propemodum amplitudine locorum, corporum multitudine & magnitudine undequaque circumdati puncto terrae quaſi inſenſibili inſiſtimus. Quanta inſuper a remotiſſimis illis ſtellis fixis ad extremum firmamentum, & ab hoc ad ſupremum Caeli ambitum interfluit ſpatiorum extenſio, lege, ſi non dedignaris, lector gratioſe, in novo opere, quod nuper de *Mirabilibus fidei Divinae* prima editione ex Vercellenſi, & ſecunda ex Conſtantienſi Typographaeo prodiit, in parte ſecunda numerum CCCXII CCCXIII &c. Videbis ibidem prorſus ſtupenda, quae ex Aſtronomorum obſervationibus ſunt adnotata. Interim cum immenſam huius materialis univerſi ſecundum longum & latum, ſecundum altum & profundum capacitatem atque amplitudinem, in qua vaſtiſſima & pene innumera circumaguntur corpora, conſpiciamus; ac inſuper admirabilis tantorum motuum harmonia, idem ſemper ordo exactiſſimus, nec non inviolata legum immutabilis obſervantia, diu noctuque per tot temporum ſecula ad hanc uſque horam ab omnibus cuſtodita videatur; nemo ignorare, aut palpare non poteſt: an hoc ornatiſſimum ordinatiſſimumque mundi palatium non alium niſi *caſum* fortuitum ſuae laudatiſſimae ſtructurae commendet auctorem. * Sed a cognitione effectus ad notitiam cauſae.

* Poſtulat criticus: *an mundus ſit perfectus*? Poſtulanti reſpondet ratio: Mundus non quidem abſolute & ſimpliciter in omni entis genere, qualis perfectio ſoli Deo I. O. M. competit, ſed *in genere ſuo* eſt omnino perfectus. Illud enim perfectum eſt, cui in ſuo genere, ſeu in ſua univerſali ratione nihil deeſt, nec plus nec minus habet, quam ad conſtitutionem ſuae naturae pertinet; ſed huiuſmodi eſt mundus, conſtat enim omnibus eſſendi gradibus, quales ſunt *eſſe*, *vivere*, & *intelligere*: ergo mundus in genere ſuo eſt perfectus. Dein perfectio operis gloria eſt ſui auctoris; perfecti igitur ſapientiſque artificis eſt, ut *unicum* opus ſuum, cui omnem ſuam induſtriam adaptat, perfectum efficiat. Propterea mundus veluti imago Dei ſpectatur, qui cum ſit primum principium & fons omnis perfectionis, ea intentione hunc mundum formavit, ut in eo Divinae perfectionis ſuae radios, veluti in pulcherrima tabula depingeret, atque per iſtius operis & imaginis perfectionem, quantum in ſe eſſet perfectus, palam omnibus demonſtraret. Demum ipſe ordo, diſpoſitio, & oeconomia rerum omnium ſapientiſſima, varietas partium admiranda, atque integritas maxima de perfectione mundi manifeſtum perhibent teſtimonium. Neque monſtra, aut mala quaſi quaedam

Perspecta ratio causae verae manuducit Materialistam in veram casus fortuiti notitiam.

LXXXII Sciendum, quod de essentia verae *causae* sit, ut vere & positive effectui suum esse tribuat. *Effectus* autem est id, quod *fit*, *fieri* enim est via ad *esse*. Unde effectus proprie est, qui ex *non esse* ducitur ad *esse*. Nihil autem, quod non est, se ad esse promovere potest, sed ut ab alio, quod causa dicitur, ad esse promoveatur, necesse habet; sana ratio quatuor praecipua observat causarum genera. Nam primo, composita naturalia non fiunt ex nihilo: ergo ex aliquo praesupposito subiecto, ex quo forma substantialis virtualiter ibi contenta educatur, hoc autem subiectum educationis seu *materia* prima iuxta peripatesmum est *causa materialis*. Secundo, omnis effectus debet esse in determinato genere & specie certa entis; sed hoc non est ratione materiae, quae est communis & indifferens: ergo ratione *formae* tanquam actus dantis speciem, ideoque datur *causa formalis*. Tertio, nihil potest producere seipsum, & quidquid fit ab alio fit, alias idem simul esset, & non esset; sed id, a quo aliquid aliud fit, est *causa efficiens*: ergo datur

naturae opprobria vituperanda putes, Critice; quin imo, dum ideo permittuntur a Deo, veluti a pictore coloribus sua umbra opponitur, ut magis distincta rerum aliarum pulchritudo appareat, potius haud exiguum naturae decus, quam dedecus aestimanda scias. Pariter discordia & inimicitia rerum ad pacem universi, ne turbetur, sed procuretur, apte deservit, dum quaelibet res pro suo iure pugnando ordinem suum servat in orbe: imo omnia pro orbis pace adeo fortiter & constanter dimicant, ut inde plura nasci, quam perire videantur; non enim viverent animantia, nisi frigus, & calor, humiditas, & siccitas inter sese pugnarent, ex qua pugna fit animalium vitalis motus, nutritio, & augmentatio. Stupemus nimborum, pluviarum, grandinum, nivium, fulminum, fulgurumque strepitus, sed tanto tumultu praecipua naturae opera fructus, plantae, animalia, metalla, & pulcherrima meteora, quibus mundus decoratur, fabricantur, sicut in officina ferraria inter malleorum ictus, flammarum crepitus, follium flatus, mira artefacta, horologia, gladii &c. producuntur. Venena autem & noxia animalia medicinae deserviunt; neque in mundum inducta sunt absque utiliori ratione & causa: sunt enim, ut ait August. lib. III de gen. ad lit. c. VII *ut hominem poenaliter laedant, salubriter exerceant, utiliter probent, & ignorantiam edoceant*. Quid, quod ipsum peccatum ineffabile decus Deum hominem factum in mundum introducere praevaluerit? ut merito cantet Ecclesia: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem*! Unde permisso, quod aliqua mundi constitutiva sint materialiter & secundum se imperfecta, formaliter, tamen in quantum totius universi sunt constitutiva, in genere suo satis perfecta sunt. Sicut igitur arbor fructuosa quorundam ramorum suorum amputatione castigatur, ut toti arbori melius provisum sit: sic aestibus & frigoribus nimiis, aliisve contrarietatibus quaedam mundi sublunaris partes nonnunquam affliguntur, ut inde ceterae melius valeant. Plura de hoc *Vide infra n.* CXXXVI & seq.

causa efficiens. Quarto, natura nihil facit frustra, & quidquid facit, hoc alicuius gratia, amore, propensione, & intentione fit; sed id, cuius gratia, amore, propensione, & intentione aliquid fit, est causa *finalis*: ergo datur causa *finalis*. In causando talis *ordo* servatur: *agens* motum a *fine* reducit *materiam* ad *actum*, ipsi communicando formam. Paucis multa!

LXXXIII Cum autem notitia perfecta genuinae causae per se arguit, & confundit causam spuriam, qualem *casum fortuitum* respectu structurae huius universi esse mox patebit, hinc notandum I, quod omnis causa sit prior effectu, non quidem semper prioritate temporis, sed naturae, idest, licet causa & effectus sit in eodem instanti reali temporis, a causa tamen pendet effectus suum esse, sic sol est prior sua luce, ignis suo calore prioritate causalitatis, non vero prioritate temporis. Notandum secundo, causam materialem & formalem simul sumptas tanquam causas intrinsecas totius substantialis esse eiusdem perfectionis cum ipso tanquam suo effectu: nam quidquid totum est, & habet, hoc *ex* materia & *per* formam est, & habet. Seorsim vero sumptae in sua entitate toto composito sunt imperfectiores; ratio huius est, quia quaelibet Pars respectu totius compositi est quid incompletum, Dictum est *tanquam causas intrinsecas*; nam causa idealis seu exemplaris, ad cuius imitationem aliquid fit, quae dicitur forma extrinseca, ut plurimum est nobilior effectu: ut patet in ideis divinis. Notandum tertio, quod causa finalis principalis in agentibus bene ordinatis debet esse nobilior effectu; ratio est, quia finis ultimatus & principalis, ad quem res quaelibet ex sua natura ordinatur, & vocari solet *finis operis*, debet esse ultimum complementum & perfectivum rei; nulla enim res censetur esse in statu perfecto, priusquam suum sibi ab auctore naturae praefixum finem attigerit: omne autem perfectivum qua tale debet esse perfectius suo perfectibili; adeoque & causa finalis saltem in agentibus bene ordinatis est nobilior suo effectu; aliquando tamen ex deordinatione operantis est ignobilior: sic luxuriosus finem suum ultimum ponit in turpi voluptate carnis, cum tamen hominis ultimus, ad quem creatus est, finis sit adeptio summi Boni. *Finis* autem *operantis*, quem quilibet operans sibimet ipsi praefigit, potest modo esse aut perfectior, aut aeque, aut minus perfectus suo effectu. An forte & tu fateris: meliora probo, deteriora sequor.

LXXXIV Notandum IV causam instrumentalem, quae producit effectum virtute alterius, nempe causae principalis, qua talem reduplicative & formaliter sumptam semper esse in se imperfectiorem suo effectu, cuius ratio est, quia instrumentalis non agit in virtute propria, sed aliena a causa principali per elevationem sibi communicata, in ordine ad pro-

ducendum effectum vires suas excedentem, quamvis effectum excedere possit materialiter, seu entitative considerata, ut si malleus argenteus cudat ferrum. Notandum V quod causa efficiens, principalis, vel est univoca vel aequivoca: si univoca, tunc prodet effectum in specie, & hoc ipso etiam in perfectione sibi similem, ut homo hominem: Si aequivoca, tunc aliunde est eminentioris speciei, & perfectionis, ut patet in sole respectu metallorum. Dein quidquid perfectionis est in effectu, praeexsistit actu in causa efficiente: ergo est ad minus aeque nobilis ac effectus, quod attinet perfectionem, quae est de essentiali ratione effectus, quae trahitur a causa proxima efficiente; nam quoad alias perfectiones, quae non tam pendent a proxima causa efficiente, sed ex contemperatione eorum omnium, quae ad formationem effectus concurrunt, & eius complexionem consequuntur, non raro contingit causam efficientem esse ignobiliorem, uti stupidus pater generat filium ingeniosum, deformis pulchrum, infirmus robustum. Ubi tamen nota, quod respectu maioris perfectionis subsequentis cessaret esse causa proxima efficiens, de qua hic loquimur. Sic omnis effectus suam commendat causam.

LXXXV Tandem notandum VI Alia est *causa per se*, quae ex se, & ex natura sua, & ut talis causat effectum, ut calidum respectu caloris: alia est causa *per accidens*, quae non per se & ut talis, sed vel *casu*, vel ratione alterius, causat effectum, ad quem ut talis non ordinatur, sed quia in ea reperitur alia virtus eius productiva. Sic v. g. Si quis simul sit Musicus, & Philosophus, tunc ab ipso ut Musico tamquam *causa per se*, & ab ipso ut Philosopho tamquam *causa per accidens* provenit Musica. Causa igitur per accidens est illa, quae coniuncta est cum causa per se, vel quae producit effectum praeter intentionem agentis, quales sunt *fortuna*, & *casus*. *Fortuna est causa per accidens horum, quae raro fiunt, in agentibus propter finem ex electione*, id est, fortuna est actio aliqua secundum electionem procedens, quam consequitur finis aliquis non intentus & raro contingens, v. g. si aliquis ludat aleis, vel chartis, & lucretur; ubi adest electio finis sine omni connexione effectus, nempe lucri cum causa, quae est actus lusorius: & hic ipse finis, ac effectus consequens potest esse bonus & malus, hinc simpliciter bona & mala fortuna denominatur. *Casus* iuxta communem loquendi modum *est causa per accidens horum, quae fiunt raro, in agentibus sine electione*, hoc est, sine intentione agentis: unde ad casum duo essentialiter requiruntur: I ut effectus raro eveniat: II ut praeter intentionem operantis eveniat; nam saepe aliqua raro fiunt, nec tamen pro sua causa *casum* habent, ut sunt terrae motus, eclypses &c., qui effectus, licet raro fiant, sua tamen causa determinata non destituuntur. In Deo nihil prorsus *fortuitum*, aut circa providentiam suam aliquid *casuale* esse potest, ratio est, quia quod

eft fortuitum, eft improvifum: nihil autem fit, quod a Deo provifum non fit, & vel permiffive, vel effective praeordinatum. Iam vero ad fcopum.

Ratio aeternae Veritatis Materialiftae evidenter demonftrat inter ftructuram huius univerfi & fortuitum cafum, ceu inter effectum & caufam prorfus nullam adeffe proportionem.

LXXXVI Tot rationes aeternae veritatis, Lector benevole, infpexifti, quotquot praenotanda a numero LXXXII ufque ad praefentem dignanter perlegifti; etenim fere omnia in philofophia fana monftrantur certa & indubia, atque primo rationis lumine fatis manifefta; & vel ideo huc funt translata, ut ceu noctis umbra exfurgentis folis praevenientibus radiis, ita materialifmi tenebrae, in quibus atomiftae fedent, reverenter cedere, & non diutius pertinaciter refiftere contendant, atque ex perfpecta veritate fufficientis caufae apertam falfitatem fuae deficientis fcholae Infpectores haud mentiti colligere ftudeant. Ergone in veftra atomiftica, feu atheiftica fecta *univerfam afpectabilis huius mundi ftructuram fortuiti cafus effectum dicitis* Materialiftae honorati, & admirabilis ftructurae iftius caufam affignatis *cafum fortuitum*? Quantum hoc veftrum affertum verum vel falfum fit, certius, citiufque demonftratum habebimus, poftquam proportionem inter ftructuram univerfi, & inter fortuitum cafum, ceu inter effectum & caufam, aequa difcretione exanimaverimus.

LXXXVII Quia vero contraria iuxta fe pofita magis elucefcunt, afpectabilem mundum & cafum fortuitum ceu lucem iuxta noctem hic apponendam duxi, ut eo perfpicacius, Lector amicus, quanta inter iftum effectum & caufam proportio ac connexio fit, apertis oculis intueri, ac iufta mente commenfurare valeat. Conteftor autem omnes & fingulos, quotquot has paginas infpicere dignitati fuerint, ea qua par eft obfervantia, fimul & proteftor, me nequaquam ex praedominantis paffionis, odiive motu contra Materialiftas, fed ex incommutabili, & intrinfeca ratione, qua tum *afpectabilis hic mundus*, ceu *effectus*, tum *fortuitus cafus* ceu *caufa* conftruitur, fub ipfius Intelligentiae SOLIS luce, abfque omni fuco, fideliter adnotaffe fequentia, quae ipfa Ratione aeterna demonftrantur, paradoxa, fibi invicem extrema contrarietate oppofita.

	Structura huius aspectabilis mundi est suae causae effectus		*Fortuitus casus tum omnium causarum tum sui effectus est causa*
	Maximus		Minima
	Praestantissimus		Vilissima
	Pulcherrimus		Turbulentissima
	Ordinatissimus		Confusissima
	Sapientissimus		Ineptissima
	Universalissimus		Arctissima
	Constantissimus		Mutabilissima
	Laudatissimus		Contemptissima
	Amabilissimus		Odiosissima
	Evidentissimus		Obscurissima
	Felicissimus		Miserrima
	Numerosissimus		Rarissima
	Fortissimus		Debilissima
Comparative in suo esse	Optimus	In sua causalitate absolute	Pessima
	Fructuosissimus		Inutilissima
	Abundantissimus		Parcissima
	Exquisitissimus		Neglectissima
	Ditissimus		Pauperrima
	Amoenissimus		Molestissima
	Iucundissimus		Tristissima
	Magnificentissimus		Abiectissima
	Amplissimus		Angustissima
	Potentissimus		Invalidissima
	Per se subsistens		In se prope nihil
	Propriissimus		Quidquid est alterius
	Totum, quod habet, accipiens		Nihil, quod det, habens
	Suae causae similis		Suo effectui deformis
	&c. &c. &c.		&c. &c. &c.

Et vel ideo aspectabilis huius universi structura ceu effectus suae causae, quod haec ipse Deus sit, evidenter demonstrativum aestimari debet argumentum.

Et vel ideo casus fortuitus structurae huius mundi, si ipsius causa fuisset, ineluctabile, prout ex paradoxis liquet, destructivum exstitisset nocumentum.

LXXXVIII Quod si Lector benevolus, aut Materialista Philosophus a dubii cuiusdam anxietate circa propositam dicti effectus & causae op-

positionem tentatum se sentiat, subito examinet, & sedulo praedicta de causis a numero LXXXII usque ad num. LXXXVI cum his paradoxis intermicante rationis luce comparet, & certus palpabit, idipsum, quod scriptum, etsi stupendum, totum subsistere verum, inter admirabilem structuram huius universi & casum fortuitum, ceu inter causam & effectum non solum proportionem prorsus nullam, sed insuper immensam adesse disconvenientiam ac repugnantiam, adeoque totum materialismum velut inane somnium, ac rationis non sanae delirium sicut sine omni principio, ita sine omni exstare fundamento, quod praecipue a numero LXVII usque ad hunc praesentem spectatur demonstratum. Ut autem plus intentus lectoris paullisper divertatur animus, illius admirabilis columnae, * quae una ex sui parte lucida praecedentes Hebraeos illuminabat; ex altera vero tenebrosa persequentes Aegyptios horrendis tenebris confundebat, hic meminisse iuvat. Minime profecto a iusta instituendae comparationis mensura aberrabit, quisquis ingentem oppositionem, quam inter huius *universi structuram* ex parte una, & inter *casus fortuiti miseriam* ex parte altera mox supra observavimus, per praeostensam caeli columnam, partim lucidam, partim tenebrosam praefiguratam dixerit; etenim dicta oppositio veros Israëlitas, qui aeternae Rationis lumen sequuntur, infallibilis veritatis splendore illuminat, inimicos vero Rationis aeternae, quales Materialistae, atque Atheistae sunt, tenebris calamitatis, & miseriae obfuscando perturbat. . . . Dictum & probatum satis!

Propositiones aeternae Veritatis contra libertinos philosophos solide evincuntur.

LXXXIX Quicumque huius tituli tria prima verba perpendit, simplici mox intuitu eiusdem veritatem agnoscit: quid enim sunt propositiones aeternae veritatis, nisi quas ipsa veritas ab aeterno, & in aeternum pronunciat? & ideo dicuntur, quod sunt, *propositiones aeternae veritatis*, seu *veritates aeternae Veritatis.* Quid igitur de his sentit philosophus Materialista, & libertinus? Honoratus huiusmodi vir inaudit, quatenus dentur, & quomodo dictentur propositiones, sive enunciationes veritatis aeternae. An & iuxta ipsius iudicium, & philosophiae suae documentum tales sunt, quales a veritate evidenter exhibentur? aut alterius sors habendae sunt sortis? Congrediamur, perdilecte, propinquius aeque ac amicabilius. Vel enunciationes, quarum aliquas numero LV adduximus, sunt aeternae veritatis expressae rationes, vel non sunt? Si tales sunt: ergo, quia veritatis aeternae effectus seu voces sunt, etiam ipsius aeternae rationis testes erunt, quod nimirum aeterna

* *Exodi. XIV v. XX*

ratio, quae Deus eſt, ipſas pronunciet, & vel ideo ob ſuam infallibilem cauſam infallibiliter verae ſunt: ſi autem non ſunt rationes expreſſae veritatis aeternae, cuius erunt? non entis mutabilis aut fallibilis, quia effectus immutabilis & aeternus nequit habere cauſam mutabilem aut fallibilem: ergo enunciationes immutabiles & infallibiles indicant ſuam cauſam immutabilem, & infallibilem, conſequenter ipſam rationem ſeu veritatem aeternam. Stat immobile: ex ſuo effectu cognoſcitur cauſa.

XC At ne libertati ſentiendi, quae amodo apud plurimos philoſophicum ſceptrum tenet, arctos nimis ſtatuamus limites, afferat quicumque libertinus vel unam probabilitatem, qua ſuam contra propoſitiones aeternae veritatis averſionem muniat; erimus pro iſto favore non parum obſtricti. An ſecundum puram veritatem idipſum demonſtrabit, an vero id veritate neglecta tentabit? Si ſecundum veritatem; ergo & libertinus veritatem ſupponit: ſi autem neglecta veritate id aſſerit, quomodo de falſitate ſe immunem credit? an non & philoſophia libertina videri ſcientifica appetit? ſecus quae miſerabilis eſſet ſtupiditas, ſi nec ſe ipſam ut veram agnoſceret, neque ab aliis velut ſcientia aeſtimari vellet. Abſit abominabile hoc dedecus; philoſophi hodierni ceu libertini perdocti, ſe ſolos ſapere, reliquos autem philoſophos, & Theologos Chriſtianos inſipere geſtiunt, dum omnem ſcientiam, ac doctrinam Chriſtianam ceu fabulam contemnunt. Attamen quo fundamento hunc ſuum inſolentem contemptum veluti iuſtum defendunt? an ipſam veritatem in ſuarum partium teſtem adducunt? Sed nullam veritatem eſſe magis praeſumunt, quam ſentiunt. Quid ergo ad ſuum proprium aliorumque incautorum hominum irreparabile damnum faciunt? libros * omni ſoliditate ſcientiae deſtitutos, & horrendis blaſphemiis refertos in publicum per typos edunt, &

* Quam formidabile damnum perverſi libri ſuis fautoribus inferant, per Paulum indicat Spiritus ſanctus in Epiſtola ad Timotheum II c. II. *Profana autem*, hortatur illum, & *vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Ea autem huius morbi perniciofa vis eſt, ut proprias carnes miſere depaſcatur, quodque adhuc ſanum & integrum eſt, intollerabili foetore corrumpat. Si ergo, concludit vir quidam eximius, teſte Apoſtolo veritatis doctore in univerſo mundo, perverſorum ſermo ſerpit ut cancer, & venenum fatale diffundit; ſane eorum ſermo in libris ſcriptus eo magis inficit, & velut ſerpens laethale vulnus in ſilentio infligit, quo animum lectoris intimius penetrando crudelius transfigit: & tot, proh dolor, ab hoc, quot Iſraelitae Moyſis tempore ab igniti ſerpentibus obſervantur adeo vulnerati, ut, niſi in SERPENTEM AENEUM, qui Chriſti crucifixi figura eſt, prout ipſe Chriſtus Ioannis cap. III teſtatur, aſpiciant, morte ſempiterna ad unum omnes perituri ſint. Igitur, ſi & tu Lector amice, veneno erroris a callido ſerpente fueris correptus, fac, ut medicamento ſalutis a Chriſto omnis veritatis magiſtro ſaneris.

quia oretenus disputando cum veritate Christiana ob scientiae fundamentalis defectum congredi nec volunt, nec possunt; per libros pestiferos plures decipiunt, deceptosque ad interitum usque seducunt, & perdunt.

Definitiones & regulae certae, axiomata & adagia omnium scientiarum & artium aeternae Rationis infallibiles enunciationes sunt.

XCI Quaeris: quaenam sunt huiusmodi veritates seu rationes aeternae, quas imago Dei anima nostra rationalis infallibili enunciatione exprimit? Respondetur: quotquot rationes aeternae sunt, quas prima mentis rationalis operatio percipit, aut percipere potest, tot pariter fieri possunt infallibiles enunciationes per secundam mentis operationem, si definitio, quae est explicatio rei, non solum per terminum complexum, seu ex duabus vocibus, aut rationibus compositum, qualis est, *animal rationale*, sed etiam per modum propositionis & iudicii enuncietur; sic enim definitio accipitur pro *enunciatione, quae est ratio iudicans unum de alio*, & sic definitionem iudicat convenire velut *praedicatum* definito tamquam *subiecto* mediante copula *est* e. g. homo est animal rationale, & sic sumpta definitiô est enunciatio. Cum igitur quaelibet res & ratio rei suam habeat definitionem, simul & infallibili enunciatione ab anima nostra rationali exprimi potest, praecipue quia ideae omnium rerum, iuxta S. Augustinum numero XXXXIV citatum, *rationes aeternae* sunt, aeque bene *enunciationes aeternas*, ac subiectum, & praedicatum mediante copula *est* propositiones constituunt.

XCII En Lector benevole, quot rationes * aeternae, quotque enun-

* Quid multae, & diversae rationes aeternae in Deo sint, & quomodo has multitidine, & diversitate infinitas Deus sine laesione suae simplicitatis cognoscat, exponit S. Thomas I p IX q. XV a. I. Quae quidem, licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a Divina essentia, *prout eius similitudo participari potest diversimode*, & quamvis in mente Divina sint plures ideae & rationes, hoc tamen non est contra simplicitatem Intellectus Divini, quod *multa* intelligat, sed contra simplicitatem eius esset, si *per plures species*, *& rationes* eius intellectus informetur. Unde plures ideae, & rationes sunt in mente Divina, ut intellectae ab ipso, & sicut *quod intelligitur*, non autem sicut species, *qua intelligitur*, quae est forma faciens intellectum in actu, seu actu-intelligentem. Quod hoc modô potest videri. Deus enim essentiam suam perfecte cognoscit; unde cognoscit eam secundum omnem modum, quô cognoscibilis est; potest autem cognosci non solum, secundum quod in se est, sed secundum quod est *participabilis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis.* Unaquaeque autem creatura habet propriam speciem, secundum quod aliquo modo participat Divinae essentiae similitudinem. Sic igitur inquantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura, cognoscit eam ut propriam rationem, & ideam huius creaturae, & similiter de aliis. Et sic patet, quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum, quae sunt plures ideae, & rationes, illaesa simplicitate Divini intellectus.

ciationes Rationis aeternae infallibiles! tot ſunt, quotquot modis, ſcilicet infinitis, Dei T. O. M. Entitas perfectiſſima, Veritas maxima, & Bonitas optima, undequaque immenſa, intra ſe eſt cognoſcibilis, & extra ſe participabilis (*Vide n.* LVII.) Atque has infinitas veritates aeternas dictat eminenter, & demonſtrat evidenter Ipſa Divina Ratio Aeterna Deus, Magiſter internus unicus, appropriate Chriſtus Dominus. Divini iſtius Magiſtri docentis modum (*Lege num.* LXXV). Ex praedictis igitur manifeſte tibi conſtare debet, quatenus omnes *Regulae* certae, & *axiomata* ſimul & *adagia* indubia omnium ſcientiarum & artium Rationis aeternae infallibiles enunciationes ſunt; nam & iſtae omnes, & ſingulae ſunt verae, ſunt certae, evidentes & innegabiles ſunt, atque iſtud non ideo ſunt, quia a ſcientificis, aut ab artificibus excogitatae, aut factae, aut aſſumptae ſunt; ſed ideo ſunt acceptatae, ideo in ſcientiis, & artibus traditae ſunt, quia infallibiles, & incommutabiles ſunt, taleſque ab aeterno ſemper fuerunt, tantaeque in aeternum permanebunt, * quia ipſius viventis & verae Aeternitatis, viventis, & aeternae Rationis ſunt eloquia, quae ex ore Divino, ceu totidem aquae viventis rivuli ex primo fonte, indeſinenter profluunt. En, vera *Aqua vitae*! de qua ſcriptum eſt Ioan. IV *omnis qui biberit ex aqua, quam dabo ei, non ſitiet in aeternum, ſed aqua quam Ego, Ratio aeterna, dabo ei, fiet in eo fons ſalientis in vitam aeternam.*

Definitio deſcriptiva rerum multas propoſitiones, & rationes aeternas pandit.

XCIII Ne vero benevolus Lector aliquam nauſeam de nomine definitionis, quam non adeo in praxi notam facilemque eſſe aliunde novimus, admittere debeat, eundem nequaquam ad ſubtiles terminos logicos alligatum volumus; ſed eidem ſincere manifeſtamus, quatenus aliqua res diverſimode facili negotio definiri, & explicari valeat. Primo enim, alia eſt *definitio eſſentialis*, quae rem per ſola praedicata eſſentialia declarat, idque vel *metaphyſice* per genus, & differentiam, v. g. *homo eſt animal rationale*; *vel phyſice*, per materiam, & formam, v. g. homo eſt compoſitum ex anima rationali, & corpore: alia definitio eſt *accidentalis*, ſeu *deſcriptiva*: huiuſmodi alia eſt, quae definitum per proprietates explanat, & tunc dicitur *propria*, v. g. homo eſt animal riſibile: alia eſt *minus propria*, quae ſuum definitum tantum per accidentia explanat, quae alias pluribus ſunt communia, at ut ſimul ſumpta uni ſoli definito conveniunt, v. g. religioſus vultum ferens macerum,

* Sic Logica artificialis eſt diſtincta explicatio logicae naturalis, & eaedem utriuſque ſunt regulae, prout docet Philoſophus eclecticus R. P. Franciſcus Jacquier Inſtitut. Philoſ. Log. q. I.

capite, & pedibus incedens nudus, simplici habitu vili, vel potius sacco indutus, oblongum gestans capucium est capuccinus.

XCIV Iterum alia definitio est *causalis*, quae fit per causas rem explicando vel intrinsecas, nempe per materiam, & formam, vel extrinsecas per causam efficientem, & finalem, atque per causam formalem extrinsecam, seu idealem. Unde iuxta quadruplex causarum genus, est & quadruplex definitio. Causa *idealis*, quae definitur causa formalis extrinseca, quam res imitatur, partim ad causam formalem, partim ad efficientem reducitur; hinc quaerenti: Quid est homo? Respondetur, animal rationale, quae est definitio *essentialis*. Qualis est? Animal risibile, definitio *accidentalis*. A quo? A Deo, quae est definitio per causam *efficientem*. Ad cuius imaginem? Ipsiusmet Dei per causam *idealem*. Ex quo? Ex humo, ceu materia per causam *materialem*. Propter quid? Ad aeternam beatitudinem, quae est definitio per causam *finalem*. *

* Non importune, *quid Angelus sit*, per definitionem aut descriptionem tibi perspectum cupis; cum & iste Spiritus ad imaginem Dei sit conditus, etsi ab anima rationali specie distinctus. Iustae petitioni tuae satisfacit, quod Ratio in praesenti exponit. *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, Immortalitatem suscipiens secundum gratiam, non secundum naturam.* Angelus est *substantia*, quia in se, & per se subsistit, & non est *accidens*, quod in alio tanquam subiecto exsistere exigit, hinc angelica substantia est vera, realis, univoca, per se, finita, completa, accidentibus substans, in qua *genus* desumitur ab essentia secundum id, quod est in ea *potentiale*, & *differentia* a forma secundum id, quod est in ea *actuale*, non enim Angeli sunt *actus puri*, quantus solus est Deus, sed potentialitate permixti, utpote qui non solum tribus potentiis memoria, intellectu, & voluntate constant, sed etiam sicut antea potuerunt esse, ita nunc possunt non esse, aut plus minusve perfectiores esse. Ideo angelus, sicut anima rationalis, est substantia spiritualis composita non ex materia, & forma, quia non est corpus, sed ex actu & potentia, qualis est omnis creatus spiritus. *Intellectualis* dicitur potius, quam *rationalis*, angelus enim id apprehendit intuendo, quod anima capit inquirendo, & conferendo, hoc competit naturae minus simplici, illud naturae magis simplici, cuiusmodi respectu animae est angelus. *Semper mobilis* autem est angelus primo, propter mobilitatem naturae, quia omne creatum vertibile est in nihilum, nisi manu omnipotentis contineatur: secundo, ob mobilitatem Intelligentiae, quoad scita in Verbo, cum Deiformem habeat intellectum, potest tamen in eo quoad cognitionem rerum in propria natura esse vicissitudo intelligentiae. Tertio, mobilis est Angelus in voluntate, quia non simul vult hoc, & illud, sed sicut omne creatum, teste Augustino intelligit unum post aliud, ita & vult unum post aliud: ita potest dici semper mobilis motu dilectionis. *Arbitrio libera* dicitur non propter deflexionem ad bonum indifferenter & ad malum, sed propter liberam electionem eorum, quae voluerit, unde angelus bonus semper libere eligit bonum, & angelus malus libere, & sine coactione eligit malum. *Incorporea substantia* dicitur, quia angelus non habet proprietatem corporis, ut corporis, scilicet in loco contineri; cum enim corpus sit in loco *circumscriptive*, ita ut corpus totum in toto spatio exsistat, non tamen totum in

XCV Colliges ex dictis, quot rationes, & propositiones aeternas pro suo cuiuscunque rei statu eruere possis; non equidem, quod istas facias, aut componas, sed per litteras, aut rerum exteriorem figuram, & formam admonitus, non iam solo externo, & interno sensu v. g. oculo, & imaginatione, quae nonnisi corporalia, sensualia, & carnalia capiunt, sed intellectu quoque seu ratione circa obiectum tuo conspectui aut cogitatui praesentatum, primo, simpliciter eiusdem rationem per definitionem sive essentialem, sive accidentalem, aut causalem percipere, secundo, sic perceptum obiectum secundum rationem aeternam infallibiliter iudicare incipias, ac quid & quantum in se, in sua ratione, & veritate sit, indubitanter enuncies, & demum tertio, ad argumentationem, & illationem ex iisdem cognitis rationibus aeternis descendas. Quod si huic salutari monito obtemperanter acquieveris, incredibilem rerum notitiam, scientiamque profundam, quantam desideras, levi tum temporis tum laboris impendio

qualibet parte, sed ut singulis partibus loci correspondeant singulae partes corporis; Angelus autem tantum *definitive* est in loco, ita ut totus exsistat actu in toto spatio, & totus in qualibet illius spatii parte. *Deo ministrans*, ministerium hic ponitur pro quocunque obsequio, & secundum hunc modum tam assistentes, quam ministrantes, imo etiam Daemones ministrant. *Immortalitatem suscipiens secundum gratiam*, non secundum naturam, ideo additur, quia Angelus ex natura sua est ex nihilo, & solus Deus *ex sua natura est Immortalis* immortalitate perfecta, quae includit omnimodam Immutabilitatem; nam immutabilitas, & immortalitas convertuntur, & secundum Augustinum omnis mutatio est, quaedam mors. Per hoc autem non negatur, quod Angelus, & anima rationalis secundum naturam suam sit incorruptibilis, inquantum ex natura sua non constat ex contrariis. Porro quatuor Angelum inter & animam notantur differentiae. Prima & principalis est, quia anima, etiam actu separata, est unibilis corpori non autem Angelus: Secunda, quia anima est rationalis, Angelus intellectualis: Tertia, quia Angelus non habet passibilitatem nisi respectu superiorum, anima vero respectu inferiorum, dum immutatur a sensibilibus: quarta differentia est, quia anima vertibilis est a bono in malum, & a malo in bonum, Angelus vero manet in eo, ad quod se convertit, sive bonum sit illud, sive malum. Accedit quod Angelus sit persona, anima vero separata a corpore non gaudet hoc nomine; *persona* enim *est naturae rationalis individua substantia*, intellige, *completa*, non *incompleta*: hinc anima rationalis, quia ceu *pars* ordinatur ad compositionem *totius* hominis, a corpore separata ceu substantia incompleta consideratur. Omnes Angeli in eo, quod sint immortales, invisibiles, simplices, discreti personis, incommutabiles, incommunicabiles alteri naturae, similes sunt; in donis vero gratiae & naturae dissimiles exsistunt. Ceterum sicut Angelus nonnisi *metaphorice* & per suam operationem est in loco; ita & non aliter, quam suam virtutem diversis corporibus applicando, & operationem ab uno loco in alium transferendo localiter movetur..... An non prope ad vivum hic delineatum cernis Angelum? ...

feliciter comparabis. Eximiae istius veritatis ipsa experientia testis esto irrefragabilis. *

In omni verbo non littera, quae occidit, sed Ratio aeterna, quae per litteras significatur, & spiritus vivificans est, a Lectore sedulo inspiciatur.

XCVI Attentius observasse vel maxime iuvat Apostolicum illud oraculum ubique vulgatum: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Littera si videatur tantum, quantum est in proprio suo esse, non est aliud, nisi calamo signata, aut recta, aut inflexa lineola: sic litterae huius nominis, *mundus*, vix aliud, quam nigrae notae sunt. Qui linguam latinam ignorat, quid per istas litteras, *mundus*, cognoscit? Nigram esse scripturam conspicit, & praeter unum hoc nihil aliud intelligit, quia foris per suos oculos solummodo scriptas litteras aspicit, inde qui nec litteras latinas legere noscit, non plus, quam canis, qui & ipse nigras lineolas videt, colligit. En, quomodo litterae istae occidunt, dum nescienti nullam de suo significato notitiam tribuunt. Iam vero hunc litterarum inexpertem instrue, & in hoc instanti quatenus hae nigrae notae sint litterae latinae huius nominis *mundus*, atque certa signa, quibus totus terrarum globus simul, & ipsum stellatum Caeli firmamentum lectori significetur, eumdem paucis edoce: & subito hominis istius illiterati ignorantia per notitiam hanc ceu per spiritum vivificabitur. Ne igitur litterae occidant, seu lectorem ignarum relinquant, illum non nudam litterarum externam formam, sed *rationem* litterarum per intellectum observare oportet; est autem *ratio cuiuslibet vocis*, quae ex litteris constat, *quod ex libera hominum institutione praeter se aliquid aliud potentiae cognoscitivae repraesentat*, sic vox *mundus* repraesentat caelum, & terram.

* *Questo è un male* (scribit Ganganelli ad Episcopum Cerati) *che abbraccia quasi tutte le Comunità. Gli studi non si fanno altro che per via d'estratti, e taluno, per aver una semplice tintura di scienze, si crede d'essere un gran dottore. Io per me non so dove andrà a finire una tal cosa; ma temo che insensibilmente non s'abbia a ricadere nell'ignoranza del decimo secolo. Le scienze son appunto come la Luna, la quale dopo essersi fatta vedere tutta intera, passa a farne veder la metà, e poi va a finir con nasconderst.*

Numerus illorum, qui hodierno seculo per viam compendii in orbe litterario incedunt, propemodum est infinitus, & id ipsum, quod possident modicum, plus per memoriam, quam per rationem sciunt. Solis tantum luce Luna resplendet, quae non solum luminis incrementa, & decrementa patitur, dum nunc in plena, tunc in semiplena, aut modica luce conspicitur; sed etiam omnem solis lucem per eclipsim, aut terrae interpositionem amittit. Homo a Sole Intelligentiae irradiatur ut Luna; exinde plus minusve doctos a doctioribus, & hos ab illis discernere, ac quanto Spiritu veritatis Scientiae in variabili mundo a Ganganelli plene illuminato assimilatae sint, pro suo merito maxime laudare noveris.

XCVII Inde colliges, quod in qualibet voce duo sint discernenda, *littera seu vox significativa*, & *ipsa res per litteram significata*. *Ratio* rei per litteram aut per vocem significatae *spiritus* est, qui *vivificat*, utpote quia illa est *Ratio aeterna*, de qua supra num. XXXIV praeclaram expositionem facit D. Augustinus. Quamobrem, ut anima nostra rationabiliter operari possit, eandem *Rationes* illarum rerum, quae per occurrentem litteram, aut vocem significantur, sedulo inquirere, inquisitasque attente percipere, perceptasque rectae diiudicare oportet. Exemplum huius adnotationis relege supra num. XLII & seq. Cum autem huiusmodi Rationes rerum tum actu exsistentium, tum possibilium sint infinitae, quantae tua anima, & tua ratio capacitatis sit, inde deducere poteris, dummodo ad hoc praecipue attendas, ut cuiuslibet rei, quam vel sensu externo, aut interno percipis, *definitionem*, aut securam eiusdem *descriptionem*, *explicationem*, aut *expositionem* obtineas, & te a sensitivo appetitu, qui alias *sensualitas* dicitur, retineri intra *sensibilium statum* non permittas; si enim *sensuali perceptioni* rerum acquiesceres, hominem animalem, qui, quid spiritus sit, non caperet, te ipsum demonstrares. Procul a te absit, Philosophe libertine, ut tu infelicis Nabuchodonosoris Regis in stupidum bovem tragicam metamorphosin tum praesenti, tum futuro seculo ad tuam irreparabilem ignominiam male cautus praeludas!

Obiectivae Rationis aeternae, quae nos illuminat, descriptio magnifica.

XLVIII Ratio obiectiva, quae sua irradiatione animam nostram rationalem, ceu suam vivam imaginem constituit, ut ex praecedentibus manifeste patet, merito sequenti modo describitur: *Ratio obiectiva est aeternum, & incommutabile quid, definitivum, ac aeternaliter determinativum omnis quaestionis de vero, aut falso, de iusto, aut iniusto, de possibili, aut impossibili: exsistens incommutabilis lex essendi, lux intelligendi, regula volendi, quod solum dat menti creatae ratiocinari, ac intellectualiter vivere. Atque hoc ipso, quia aliquid aeternum, & immutabile est, debet esse aliquid divinum, id est realiter ipse Deus, & appropriate ipsum Verbum*; iuxta dicta num XVII. Nec exinde sequitur, etsi optatissima sequela foret, quod mens nostra semper bene, & nunquam male operaretur; aut si male operatur, quod Deus induceret ad malum; nam licet in omni operatione mentis, quae ex aliqua ratione procedit, & sola *rationalis* est, *vitamque rationalem* sola constituit, Deum ipsum esse obiectivam operandi rationem scimus; non tamen ideo Deus est ratio ad peccatum: procul sit a capitibus nostris isthaec impiissimi Calvini blasphemia!

XCIX Etsi enim irradiatio obiectivae rationis, ceu solaris lucis per medias circumquaque evibretur tenebras; hoc non obstante vel ideo nos peccare contingit, quia contra Dei aeternam legem, praefatam di-

gnissimam entis aeterni rationem inconvenienti subiecto applicamus, e. g. dum per superbiam Dei celsitudinem, per ambitionem divinum honorem, per blanditias lascivas blandissimam Dei charitatem, per iram, & vindictam Dei iustitiam imitamur, peccamus, cum contra dictamen rationis, quod a D. Basilio * *naturale Iudicatorium*, a S. Iustino ** *rationis Iudicium*, a D. Damasceno *** *Lex intellectus nostri* vocatur, perverse agimus, e. g. contra hoc dictamen: *aeternum est praeponendum temporali, malitiose momentaneam voluptatem aeternae gloriae praeponimus*, quin tamen per hoc dictamen rationis aeternae, sive Deum legem mentis nostrae perpetuo dictantem alicuius noxae reum faciamus. *Tanta est vis summi boni*, subscribit D. Seraphicus Bonaventura, **** *ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari, quae tunc fallitur, & errat, cum effigiem, & simulacrum* (creaturam) *pro veritate acceptat.* Adeo misere semetipsum decipit, quisquis graviter delinquit.

Facillima praxis, qua non tantum omnis Philosophus materialista, & libertinus, sed etiam omnis homo rationalis sensibile, & materiale ab intellectuali, & spirituali discernat.

C Ut autem fructuosa utilitas, quam Lectori benevolo numero XXVIII praediximus, ubi fusius de notitia sensitivae cognitionis in ordine ad intellectionem locuti sumus, eidem ad manum, & ad usum quotidianum offeratur; qua arte *sensibile, & materiale ab intelligibili, & spirituali discernat*, brevi aliqua praxi perstringimus. Duo sunt entium genera, quae caelum, & terram, & omnia, quae in eis sunt, certo constituunt, corpus & spiritus, seu ens materiale, & ens spirituale. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Hortatur propheta, & Rex David, ***** id est, nolite solis sensibus duci, cum ratione sitis praediti: equus, & mulus sensibus ducitur: & quem ducem agnoscit, aut sequitur Materialista, aut libertinus Philosophus? Repeto: quem ducem sequitur? Aut sensum, aut spiritum? Si sensum: factus est sicut equus, & mulus; & cur hoc? Quia nec huic, nec equo, aut mulo est intellectus. Si autem sequitur spiritum: quis iste spiritus? An sibi ipsi contradictorius ad spiritum confugiet, qui nullum spiritum, sed solum corpus dari per suam corpoream sectam, utpote quae omni spiritu verae vitae, & veritatis caret, professus est? Amice Philosophe, qui te ipsum sine spiritu fingis potius, quam sentis, an sine intellectu es, vel non es sine intellectu? Si sine intellectu es: ergo ex tua confessione es Philosophus sicut equus, & mulus. Si autem non es sine intellectu; edicito: quid est intellectus tuus, quo ab equo, & a mulo differs? An intellectus hic tuus est sensus tuus, est visus tuus, vel auditus,

* *D. Basil. Coment. in Proverb initio.*
** *S. Iustinus Serm. de S. Marco.*
*** *S. Damasc. Lib. II de fide c. XII.*
**** *S. Bonav. in itiner. mentis in Deum c. III.*
***** *Psal. XXXI v. IX.*

vel odoratus tuus, vel gustus, vel tactus tuus? Si hoc? ergo adhucdum & equus es, & mulus es, quia & hos ipsos sensus habet equus, & mulus: praeterea nihil! Ideo & de te, tuisque prophetavit Rex David psal. XIII *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Promeritae laudis de te multum satis?.. Sed ad ipsam, quam nobis praesens titulus proponit, facillimam praxim.

CI Qua tu igitur arte *sensibile, & materiale ab intelligibili, & spirituali* discernas? Ne in ista discretione decipiamur, necessaria nobis est infallibilis regula, & quaenam ista? Haec non est alia, nisi illa ipsissima, quam duo eximii Sanctae Ecclesiae Doctores S. Augustinus & S. Thomas Aquinas hic num. XXXIV, XXXV, & LVIII nobis suggerunt, videlicet quod omnia, & singula propriis suis *Rationibus aeternis*, quae in mente Dei existunt, *conformia* sint facta, quae rationes plerumque definitione exprimuntur. Unde si rem quampiam corpoream conspicis, aut quamdam spiritualem perpendis, sine mora in rationem rei illius inquire interrogando: quae rei huius, quam video, quam audio, quam gusto, & quam sentio, est ratio? quae eius definitio, aut descriptio essentialis, quae accidentalis, aut quae causalis? de quibus mentio fit numero XCIII, XCIV. Dein, si definitionem aut descriptionem rei, quam videris, aut nominis, quod legeris, sive audieris, perscrutatus fueris, huius ipsius definitionis terminos singulos ad rationem, & suam definitionem aut descriptionem essentialem, accidentalem, aut causalem revoca, & quod meis verbis credere vix posses, propria, & quasi instantanea experientia ipse comprobabis, quanta lux sane stupenda, rerumque admiranda notitia, ac intima perspicacia intra te sponte sua oriatur. E. g. vides Petrum: inquire: quid est Petrus? est animal rationale. Quaere ulterius: quid est animal rationale? Cur homo est rationalis? Quid est ratio? Una haec inquisitio te in notitiam rationis, quam tibi hoc totum opus perhibet, veluti apprehensa manu perducet. Idem observa de pluribus, immo de omnibus, & certo tibi feliciter eveniet, quod paullo ante praedictum est, videbis, quam genuine scripserit Doctor veritatis: *Animalis,* idest materialis, *homo non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinantur; spiritualis autem iudicat omnia.* Tu homo *non animalis,* sed *spiritualis* esto, & quae spiritus Dei sunt, vivaciter percipito, nec non omnia veraciter iudicato, ut vivas semper, & ubique, tam in adversis, quam in prosperis vere Beatus. Ut autem Beatitudo ista rationalis, quam simplex Rationis aeternae perceptio, & contemplatio solide inchoat, non solum infallibili iudicio, quod vera sit Beatitudo, secundum praedicta videatur firmata, sed etiam immutabili illationis certitudine stabilita sit, hoc opus, hic labor esto ipsa Thematis, in quam assumptum dividitur,

PARS TERTIA

IMAGO DEI
IMMORTALIS
ANIMA RATIONALIS
EXPRIMIT RATIONEM AETERNAM
IMMUTABILI ILLATIONE

Necessitas illationis provenit ab exemplaritate in Arte aeterna.

CII Cum veritates & res invicem connexae sint, una veritate & re data, sequitur & alia: dato, quod sol luceat, sequitur dies: & concesso, quod *Sol Intelligentiae* ortus sit nobis, quantus in anima nostra dies mirificae illuminationis aderit? Propterea ratio illa, in qua una veritas infertur ex alia, *illatio* sive *argumentatio* dicitur, idemque est, quod *ratiocinatio*, * nempe discursus unius ex alio. Definitur illatio *ratio*, *in qua unum ex alio infertur*;

* *Anima rationalis* secundum D. Bernardum *de vita solit.* qui supra num. XI citatur, *est substantia incorporea*, *Rationis capax*, *vivificando corpori accommodata*, quae ubi perfectae rationis incipit esse non tantum *capax*, sed etiam *particeps*, continuo abdicat a se nomen generis foeminini, & ex *anima* efficitur *animus particeps rationis regendo corpori accommodatus*, vel seipsum habens spiritus. Quamdiu enim *anima* est, cito in id quod carnale est effoeminatur; *Animus* vero vel *spiritus* nonnisi, quod virile est & spirituale, meditatur, & in eodem loco S. Doctor ait: *Ratio* vero sic definitur a definientibus, vel describitur a describentibus: *aspectus animi est*, *quo per se ipsum*, *non per corpus*, *verum intuetur*, *aut ipsa veri contemplatio*, *aut ipsum verum*, *quod contemplatur*, *aut vita rationalis*, *vel rationale obsequium*, *in quo conformatur veritati*

five adhuc clarius: eſt *ratio explicans illationem unius ex alio.* Attendamus quid ad rem noſtram dicat Doctor Seraphicus Divus Bonaventura, cuius eloquia ceu ſuperna oracula hic in prima, & ſecunda parte venerabundi ſuſpeximus. *Operatio autem virtutis intellectivae,* inquit, * *eſt in perceptione intellectus terminorum, propoſitionum, & illationum.* De terminorum, & propoſitionum perceptione in prima, & ſecunda praeſentis thematis Parte pro brevitate plura contulimus: reſtat igitur, ut & de tertia *perceptione illationum* mentionem opportunam faciamus.

CIII Intellectum autem *illationis,* pergit S. Doctor, *tunc veraciter percipit noſter intellectus, quando videt, quod concluſio neceſſario ſequitur ex praemiſſis,* quod non ſolum videt in *terminis neceſſariis*, verum etiam in *contingentibus*: ut *ſi homo currit, homo movetur.* Hanc autem neceſſariam habitudinem percipit non ſolum in rebus entibus, verum etiam in non entibus; ſicut enim in homine exſiſtente ſequitur, ſi homo currit, homo movetur, ſic etiam non exſiſtente. Huiuſmodi igitur illationis neceſſitas non venit ab exſiſtentia rei in materia, quia non eſt neceſſaria, ſed ſolum contingens, nec ab exſiſtentia rei in anima, quia tunc eſſet fictio ſi non eſſet in re. *Venit igitur ab exemplaritate in Arte aeterna, ſecundum quam res habent aptitudinem, & habitudinem ad invicem, ad illius aeternae Artis repraeſentationem.* Omnis igitur, ut dicit Auguſtinus, ** vere ratiocinantis lumen accenditur ab illa Veritate, & ad ipſam nititur pervenire. Ex quo manifeſte apparet, quod *coniunctus ſit intellectus noſter ipſi aeternae Veritati*, dum niſi per illam docentem nihil verum poteſt certitudinaliter capere. *Videre igitur per te potes Veritatem, quae te docet*, ſi te concupiſcentiae, & phantaſmata non impediant, & ſe tamquam nubes inter te & Veritatis radium non interponant. Seraphice, & perdocte infert S. Bonaventura D. vere Seraphicus.

Veritas connexionum, ſeu connexio illationum non ab hominibus inventa, ſed in rerum Ratione aeterna divinitus eſt inſtituta.

CIV Cum autem tota illationis fabrica in *connexione* duorum extremorum cum medio termino, ſi affermativus, aut in *diſtinctione*, ſi negativus

contemplatae. Ratiocinatio vero eſt rationis inquiſitio, hoc eſt aſpectus eius motio per ea, quae aſpicienda ſunt. *Ratiocinatio* querit, *Ratio* invenit. Aſpectus hic in aliquam rem coniectus, dum eam videt, *ſcientia* eſt, dum non videt, *ignorantia* eſt hominis. Haec ergo *Ratio* eſt, & inſtrumentum, per quod operatur, & opus, quod operatur. Ita Bernardus.

* *S. Bonav. Itinerarii mentis in Deum cap. III.*

** *S. Auguſt. lib. de vera Relig. Vide infra n. CXL ubi propria S. Doctoris adducuntur verba lectu, & ſcitu digniſſima.*

ſit, conſiſtat, ſecundum quod duobus principiis metaphyſicis tamquam fundamentis ſolidiſſimis inſiſtere dicuntur, nimirum, *quaecumque adaequate, virtualiter, & ſecundum eamdem partem ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem etiam inter ſe*: & *quaecumque realiter adaequatae & non tantum virtualiter, aut ſecundum diverſum partem diſtinguuntur in uno tertio, diſtinguuntur etiam inter ſe*. Unde quis huius connexionis auctor, & factor ſit, ſedulo eſt perpendendum; ſolus enim, qui extrema cum medio connectit, ipſius illationis factor, & auctor exſiſtit. Sed ne veris falſa annectam, praeeuntem ſequor Auguſtinum, qui lib. II de Doctrina Chriſtiana c. XXXI de Dialectica docet: diſputationis diſciplina ad omnia genera quaeſtionum, quae in litteris ſacris ſunt, penetranda, & diſſolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda eſt libido rixandi, & puerilis quaedam oſtentatio adverſarium decipiendi... Dein infra pergit S. Doctor: ſunt etiam verae connexiones ratiocinationis falſas habentes ſententias, quae conſequuntur errorem illius adverſarii, quocum agitur, quae tamen ab hoc inferuntur a bono, & docto homine, ut in iis erubeſcens ille, cuius errorem conſequuntur, eumdem relinquant errorem; quia ſi in eodem manere voluerit, neceſſe eſt, ut etiam illa, quae damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apoſtolus, cum diceret I ad Cor. XV v. XVI. *Neque Chriſtus reſurrexit*, & illa alia: *Inanis eſt praedicatio noſtra, inanis eſt, & fides noſtra*, (poſito ſi non detur reſurrectio mortuorum) quae omnino ſunt falſa, quia & Chriſtus reſurrexit, & non erat inanis praedicatio &c. Sed & iſta falſa veriſſime connectebantur illi ſententiae, qua dicebatur, non eſſe reſurrectionem mortuorum. Iſtis autem falſis repudiatis, quoniam vera erant, ſi mortui non reſurgunt, conſequens erit reſurrectio mortuorum.

CV Cum ergo ſint verae connexiones non ſolum verarum, ſed etiam falſarum ſententiarum, facile eſt veritatem connexionum etiam in ſcholis illis diſcere, quae praeter Eccleſiam ſunt. Sententiarum autem veritas in ſanctis Libris Eccleſiaſticis inveſtiganda eſt. *Ipſa tamen veritas connexionum non inſtituta, ſed animadverſa eſt ab hominibus & notata, ut eam poſſint vel diſcere, vel docere. Nam eſt in rerum ratione perpetua, & divinitus inſtituta.* Sicut enim, qui narrat ordinem temporum, non eum ipſe componit, & locorum ſitus aut naturas animalium, vel ſtirpium, vel lapidum qui oſtendit, non res oſtendit ab hominibus inſtitutas: & ille, qui demonſtrant ſidera, eorumque motus, non a ſe, vel ab homine rem aliquam inſtitutam demonſtrat: Sic etiam qui dicit, cum falſum eſt, quod conſequitur, neceſſe eſt, ut falſum ſit, quod praecedit, veriſſime dicit, neque ipſe facit, ut ita ſit, ſed tantum ita eſſe demonſtrat: ex hac regula illud eſt, quod de Apoſtolo Paulo commemoravimus. Hucuſque S. Auguſtinus loco cit.

Ipse Deus est Auctor, & Factor sicut connexionum, ita & illationum.

CVI Quapropter aliud est nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. Quidam sic se iactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum quoque veritatem perspectam haberent. Ex quibus iam sic arguendum. Veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, atque in rerum ratione perpetua, & divinitus instituta; atqui veritas connexionum est connexio, & constitutio illationum: ergo connexio, & constitutio illationum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, atque in rerum ratione perpetua, & divinitus instituta. *Ratio autem perpetua non potest esse alia, nisi ratio obiectiva*: ergo Ratio obiectiva, idest, ipse Deus est auctor, & factor sicut connexionum, ita & illationum. Argumentum est in legitima forma.

CVII Confirmatur. Ideo enim duo extrema, maius, & minus connectuntur cum medio, *quia sunt*, & non, *quia dicuntur* esse identificata, aut distincta, seu unum & idem cum tertio sive medio, aut non idem & unum; atqui omnes res aut sunt inter se identificatae, aut distinctae, quia ex essentia sua incommutabili, & aeterna sunt constitutae secundum ordinationem ac rationem divinam, non vero quia sunt a nobis connexae: ergo connexio rerum, consequenter & illationum non est ab hominibus instituta, sed in ratione obiectiva & perpetua solum a nostro intellectu visa, notata, & animadversa. Quod amplius roboratur ex eo, quia non possumus rem quamcumque vere apprehendere, aut definire, nec iudicare, nisi illuminati, instructi, edocti, & informati ab obiectiva Ratione, ergo neque possumus rem ex re sine obiectiva Ratione infallibiliter inferre; eoquod non minus illatio, & conclusio, quam enunciatio, scientifica, ut talis sit, debet *inniti causae ac rationi, quae aliter se habere non potest*; sed quod aliter se habere non potest, est infallibile, immutabile, & aeternum: ergo ratio illationis eadem prorsus est, quae est definitionis, ac propositionis, nimirum *aeterna Ratio obiectiva*, cuius magnificam descriptionem lege supra *n.* LXVIII

Sola Ratio aeterna, sive ipse Deus appropriate Christus causat in nobis scientiam.

CVIII Ut autem causam & rationem certam, & infallibilem, quae ad omnem scientiam, & illationem demonstrativam requiritur, penitius inspiciamus, praeprimis ex communi philosophiae doctrina, cui nec unus sanae mentis contradicit, nosse iuvat, *scientiam*, cuius actus etiam *illatio* est, dupliciter considerari. Primo, *communiter* seu universaliter, quatenus iuxta philosophum I post. c. II *scire* nihil aliud est, quam *rem cognoscere per causam, propter quam res est, ita ut non possit aliter se habere*, & sic iuxta eumdem II post. c. II scire potest ali-

quis etiam secundum definitionem, non habens demonstrationem, idque inferius his paucis confirmat dicens: *definitionem namque habens sine demonstratione sciet.* Secundo, strictius magisque proprie loquendo, scire est *demonstrative* demonstrationem habere, iuxta Aristotelem ibidem, ad quod non qualitercunque certa, & evidens obiecti cognitio sufficit, sed talis requiritur, vi cuius sciens *sciat se scire*, ita ut sui sciti *infallibilem rationem* reddere valeat. Iam sic:

CIX *Scientia * est cognitio certa, & evidens rei per causam, & rationem infallibilem, & ratio, ac causa certa, & infallibilis causat scientiam, quae est cognitio certa, & evidens rei per causam certam, & rationem infallibilem*: sed sola aeterna ratio, sive ipse Deus, appropriate Christus, causat scientiam, quae est cognitio certa & evidens rerum per causam certam, & rationem infallibilem. Infallibile enim est, quod nec fallere, nec falli potest; sed causa certa, & ratio causans scientiam est infallibilis, & solus Deus est infallibilis, qui nec fallere, nec falli potest: ergo solus Deus est causa, & ratio infallibilis, quae causat cognitionem certam, & evidentem rerum, sive scientiam. Nec obstat, quod prima principia dicantur infallibilia, & per se nota; non enim talia sunt, inquantum sunt aliquid creatum, sed quatenus divino rationis obiectivae radio, sive ipsa infallibilitate sunt respersa: vide *n.* LIV, LV, & LVI tua rele-

* Ut de moderna Philosophia experimentali, quantum per suas experientias, quae sicut admirabiles, ita prope innumerabiles sunt, promoverit scientias, certam notitiam habeas, paucis rem totam accipe. ' Ex quo litteratorum respublica', refert ' iam tertio citatus Montier in sua eclesia, sese in libertatem asseruit, excusso ' auctoritatis iugo, cogitandi, sentiendi, ' sensusque nostri loquendi liberam facul- ' tatem adepti sunt, quid scientiis, & ar- ' tibus accesserit, quantum hae fuerint pro- ' motae, quaenam utilia inventa, quae ' soluta problemata, ii tantum non vident, ' qui sunt in rebus litterariis peregrini., Ita ille. Verum quid emolumenti scientiis accesserit, quantumve fuerint per modernam philosophiam experimentalem promotae, profecto nullus eorum, qui in rebus litterariis optime versati sunt, ceu id ipsum, quod in ea vehementius desideratur, non videt. Ex pluribus huiusmodi audiatur Primariarum per Europam Academiarum Socius, Philosophiae modernae patronus, in Lyceo Romano, & in Collegio urbano de propaganda fide Professor P. Franciscus Jaquier ex Minimorum Familia, hic Instit. Philosoph. tom. IV lect. II part. I cap. II ita disserit: *Non sine maxima recentiorum iniuria negari potest, in effectuum observatione, & cognitione longe feliciorem, & locupletiorem esse hodiernam Physicam, quamvis post longam seculorum seriem circa effectuum causas nihil fere plus scire datum sit, nec fortasse dabitur unquam, donec rerum effectuumque omnium causam Deum ter O. M. aeternum intueamur.* Ita eximius. Qui autem effectum sensu agnoscit, & huius causam nescit, edicito, quantum hic in scientia proficit? nonne scientia est cognitio rei per causam? Quique rationem sui sciti reddere nequit, quantum huiusmodi ratiocinari poterit? Igitur, ut plurimum in scientiis proficias, solidam rationis notitiam ut acquiras, tuique sciti certam causam per immutabilem rationem reddas, omnino necessum est.

ctione haud indigna. Ut vero infallibilis istius documenti, quod ingentis ponderis esse facile perspicis, infallibilem pariter confirmationem, si a te requiratur, superaddere noscas, mentis tuae aspectum, qui tua est Ratio, supra in prima & in secunda huius libri Parte tradita fundamenta breviter reflecte, & quanta infallibilitate Imago Dei Immortalis, anima tua rationalis hanc ipsam Scientiae *aeternam Rationem*: *omnis Scientia*, proprie dicta, *est cognitio certa, & evidens rei per causam certam, & Rationem infallibilem*, I. SIMPLICI PERCEPTIONE, & II INFALLIBILI ENUNCIATIONE exprimat, solerter perpende. Et primo veluti intuitu, quanta invincibilium argumentorum copia, ceu terribilis castrorum acies ordinata, tibi in tuum adiutorium succurrat, laetus totus, & admirabundus conspicies.

Magisterium internum, quod Christo appropriatur, pluribus argumentis firmatur.

CX Regia sua auctoritate, & Divina revelatione *Magisterii* huius *interni* Thronum stabilivit Psalmista, & Rex David, * dum redarguit impios dicentes: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*, dicendo: *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite*: (simili titulo indicat Spiritus sanctus quales, & quanti sint omnes, qui Deum negant). *Qui plantavit autem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?. Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam? ... Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum*. Huic Prophetae, & Regi consentit Ioannes Apostolus, & Evangelista: ** *Vita erat lux hominum, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: de quo hucusque dicta sunt copiosa. Duobus hisce testibus accedat & tertius omni exceptione maior, qui undequaque infallibilis est, & divinus. Quis autem diffidat Regio, Apostolico, & Divino testimonio? Taceamus? Ipsa Veritas loquitur, *** & quidem ad turbas, & ad discipulos suos dicens: *Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis: nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus*. Quid clarius?

CXI Verum ut ex omni parte genuinum inspiciamus divini istius testimonii sensum, audiamus universaliter receptam expositionem: **** Nolite delectari, vult Veritas dicere, huiusmodi titulis, ut Pharisaei, qui ambitiose sic appellari cupiebant: *unus est enim magister vester*, qui docet omnes scientiam, & novit omnia: vos autem omnes fratres estis, & discipuli sub uno patre & magistro. Itaque non vetat vocari patres, & magistros; nam & Paulus hos dignitatis titulos sibi

* *Psalm. XCIX v. VII*
** *Ioan. I*
*** *Matth. XXIII v. VIII*
**** *Io. Bapt. Du Hamel. in h. l.*

ſumit, & ſe magiſtrum gentium appellat; nec damnat titulos eruditionis, qui uſurpantur in academiis, ſed comparate ad Deum loquitur: omnes enim ſunt unius magiſtri, qui veritatem intus docet, diſcipuli; uti Auguſtinus libro de Magiſtro fuſe proſequitur: cum alii foris tantum admoneant: *intus is docet, qui ſolus cathedram habet in caelo.* Ita dictus Interpres ſuo nomine, & ſingulari laude apud omnes celebris.

CXII Ex quibus facile colligitur, atque concluditur, nullum hominem eſſe ſcientiae magiſtrum internum, qui nos intus doceat ſive ſenſibilia, ſive intelligibilia, ſed unumquemque noſtrum doceri a *Patre luminum* mediante lumine rationis: & hinc magiſtri externi, profeſſores, lectores interius non docent, ſed ſuis ſignis, ſeu verbis, ſive vocalibus, ſive ſcriptis nos admonent, ut animum convertamus in eum, qui immediate nos docet, magiſtrum noſtrum Chriſtum. * Verba enim ſepoſita ſignificatione ſunt ſenſibilia quaedam, nihil praeterea: ſi quidem ſint ſcripta, ſunt lineae ductae in tabella ſeu charta, ſic viſibiles, ut reliqua ſenſibilia colorata ſunt viſibilia: ſi autem ſint vocalia, ea ſunt ſonus ſeu voces perinde audibiles, ac reliquus ſonus. Eiuſmodi vero exteriora ſenſibilium ſigna, ſe ipſa ingerunt, exhibent, ac loquuntur videnti, audienti, imaginanti: & eatenus ſenſibiliter ſe ipſa docent, prout ſe docet, & manifeſtat quodcunque aliud ſenſibile. Is vero, qui characteres formavit, vel elicuit vocem, non ideo docuit, quia vocem edidit, aut characteres formavit. Interim illae

* Non fictum, ſed factum eſt, quod in Chronicis Seraphici ordinis III part. lib. II cap. II legitur. Adibat quondam Divus Thomas Aquinas angelicus Doctor Doctorem Seraphicum D. Bonaventuram ornatiſſimam huius igniti Seraphim Bibliothecam ac libros, ex quibus Divinos Seraphicae Sapientiae ſuae ſenſus hauriret, inſpecturus Angelus: amiciſſimae petitioni obtemperat Bonaventura, & ordinarios quoſdam codices aperit: *Non non*, reponit Thomas, *non hos, ut mihi exhibeas, volo, ſed alios & illos, ex quibus ſublimem tuam ſuxiſti ſcientiam*. Bonaventura ſodali adeo charo chariſmata ſua occultare non volens, indice devotam Ieſu Chriſti crucifixi imaginem ſuſcitanti demonſtrat dicens: *Hic eſt, amice dilectiſſime, liber meus praecipuus: haec bibliotheca mea ornatiſſima: quidquid ſcribo, quidquid aliis praelego, ex uno hoc libro affluenter colligo: ſcias, & certo credas, citra omnem comparationem plus ſcientiae verae luminis ad pedes huius crucifixi me reperire, quam per ullam corporalem librorum lectionem, aut per quodcunque exterius ſtudium.* Ita narratur loco citato. Et quis de ſeraphica hac doctrina dubitet? cum ipſe Doctor gentium, & veritatis gloriando I ad Corinthios II ſcribat: *Non iudicavi me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiae, & ſcientiae abſconditi.* Ad Coloſſ. II. Ex vulneribus igitur Dei Crucifixi univerſae veritatis unici magiſtri interni, veluti ex tot *fontibus Salvatoris*, non vero ex haereticorum, aut eorum, qui inter inanes, vanoſque proſcripti ſunt, Philoſophorum commentis ſapientiam veram, ſolidamque ſcientiam ab unoquoque hauriendam eſſe, non minus ſuaviter quam ſapienter docet, & infert ipſa Ratio aeterna ... Sapienti pauca!

voces, ac characteres, dum sese insinuant oculis, & auribus, subeuntque sensorium intimum, secum vehunt significationem, quae est evocatio sensibilis repositi in sensorio, quod sensibile eatenus accitum, momento prodit in conspectum imaginantis, & hoc sensibile obiectum est verus magister, qui docet, seu qui efficit eam notitiam sensibilem, quae desideratur: ad cognitionem sensitivam (*num.* XXVI); efficit autem illam non scribendo, aut vocaliter loquendo, sed *repraesentando id, cuius est similitudo, animae cogniturae ipsum sensibile. Verba igitur,* inquit S. Augustinus in libro de Magistro c. X *quibus ut plurimum tribuam, admonent tantum, ut quaeramus res, non exhibent, ut noverimus: is me autem aliquid docet, qui vel oculis, vel ulli corporis sensui, vel ipsi etiam menti praebet ea, quae cognoscere volo. Verbis igitur nisi verba non discimus, imo sonitum strepitumque verborum.* Haec S. Doctor & iure & merito a cunctis audiendus.

CXIII Cum autem aliud sit sensibilia imaginari per phantasiam, & aliud res intelligibiles intelligere per intellectum, S. Augustinus citato libro de Magistro c. XII sic ait: quod si & de coloribus lucem, quae illos colores manifestat, & de ceteris, quae per corpus sentimus, elementa huius mundi, eademque corpora, quae sentimus, sensusque, quibus tamquam interpretibus ad talia noscenda mens utitur, *de his autem, quae intelliguntur, interiorem veritatem ratione consulimus*: quid dici potest, unde clareat, verbis nos aliud discere praeter ipsum, qui aures percutit, sonum? namque omnia quae percipimus, aut sensu corporis, aut mente percepimus, illa sensibilia, haec intelligibilia, sive ut apertius loquar, illa carnalia, haec spiritualia nominamus. Et caput XI S. Doctor ita concludit: *de universis autem, quae intelligimus, non loquentem, qui personat foris, sed intus ipsi menti praesidentem consulimus veritatem, verbis fortasse, ut consulamus admoniti. Ille autem, qui consulitur, docet, qui in interiore homine habitare dictus est CHRISTUS: idest, incommutabilis Dei virtus, atque sempiterna Sapientia, quam quidem omnis rationalis anima consulit, sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam sive malam, sive bonam voluntatem potest; & si quando fallitur, non fit vitio consultae veritatis, ut neque huius, quae foris est, lucis vitium est, quod corporei oculi saepe falluntur, quam lucem de rebus visibilibus consuli fatemur, ut eas nobis, quantum cernere valemus, ostendat.* An non prope supra humanum verborum istorum videtur sensus? Demum c. XII *de Magistro* addit: *Cum vero de iis agitur, quae mente conspicimus, idest, intellectu, atque ratione, ea quidem loquimur, quae praesentia contuemur in illa interiore luce veritatis, qua ipse, qui dicitur homo interior, illustratur, & fruitur: sed tunc quoque noster auditor, si & ipse illo secreto, ac simplici oculo videt, novit, quod dico, sua contemplatione, non verbis meis.* Quotiescunque igitur experiris, quod ad pronunciationem verborum in te

scientia, seu notitia alicuius rei oriatur, neutiquam id vi verborum tamquam causae physicae, quae in te producerent scientiam, adscribas: *doceris enim non verbis meis*, alloquitur te Augustinus loco mox citato c. XII de Magistro, *sed ipsis rebus Deo intus pandente manifestius*, ad cuius interioris lucis splendorem oculum tuum mentalem, ut eleves ceu ad internum Magistrum, verba veluti signa admonent. Vides hic Magisterium internum, quo intra te rationem tuam aeterna Ratio obiectiva, appropriate Christus Magister unicus, infallibiliter docet, non minus immutabili Ratione, quam venerabili auctoritate firmatum.

Ens obiectivum Increatum nec essendi, nec cognoscendi habet Principium.

CXIV De primis principiis, ex quibus omnis scientifica illatio descendit, uberiorem notitiam ut habeas, communico tibi non adeo communia, etsi in se omni intelligenti sint certa. Principium generaliter loquendo est primum in aliquo genere, & definitur *id, unde aliquid est, vel id, a quo aliquid fit, aut cognoscitur.* Principium est aliud *essendi*, aliud *cognoscendi.* Principium *essendi* est illud, quod influit in *esse* rei: eiusmodi *extrinsecum* est *Causa Finalis*, *Exemplaris*, seu *Idealis*, & *Efficiens. Intrinsecum* est *Causa Materialis*, & *Formalis.* Principium *cognoscendi* est illud, quod facit rem *cognosci*, ut *effectus* rei, *proprietates* & *operationes* rei, atque *accidentia*, ex quibus deducitur cognitio subiecti, suorumque Praedicatorum e. g. *Quodlibet est, vel non est: omne totum est maius sua parte* (*Vide n.* LV): Ens dividitur in *Increatum* seu *obiectivum*, & in *Creatum* seu *subiectivum*. Increatum & obiectivum Ens est ipse & solus Deus: Subiectivum, seu Creatum Ens, est omne reliquum creabile & creatum; quidquid enim est, aut esse potest, & non est Deus, est factum, aut factibile secundum Rationem, & ideam aeternam, quae iuxta praedicta est ipsa creatrix Essentia, a cunctis adoranda, super omnia aestimanda, & amanda.

CXV Ens Increatum seu obiectivum nec habet principia *essendi*, quia est simplicissimum rerum omnium principium *primum*, ante & supra quod non datur, nec esse, nec concipi potest aliud, neque habet hoc Ens obiectivum Increatum principia *cognoscendi*; nam illud principium, quod facit omnia alia cognoscendi principia cognosci, nullum admittit aliud cognitionis principium, per quod illud *primum* omnium principium increatum cognoscatur: sic lux sensibilis e. g. lux Solis, aut ipse Sol non admittit aliam a se distinctam lucem, per quam reddatur visibilis: ergo neque lux intelligibilis, sive *Sol intelligentiae*, qui est ipsum Ens obiectivum, non admittit aliam a se distinctam lucem, per quam reddatur intelligibilis. Ultro equidem concedimus Deum tamquam primam causam ex effectu creato demonstrari posse; sed negamus id fieri posse sine praevio lumine Rationis

obiectivae omnem hominem venientem in hunc mundum illuminantis; nam sicut ex corpore illuminato, quod video oculo corporeo, in notitiam luminis solaris venio, quin lumen in corpore illuminato, aut ipsum corpus *Principium primo principians* videndi Solem sit, sed ipse Sol; ita licet in creatura splendor sui Creatoris reluceat, splendor tamen hic non est *Principium primo principians* cognoscendi Deum, sed ipse Deus, consequenter tam splendor Solis in corpore, quam splendor Creatoris in creatura est *principium principiatum*. Quod distincte est discernendum, & bene notandum, ut ea, quae debetur, Primo rerum omnium Principio, & reverentia, & observantia a cunctis deferatur maxima. *Vide n.* CXXXV

Lux Mentium, Deus, est homini rationabiliter operanti per se notus.

CXVI Ex monstrato internae, incircumscriptae, ac omnibus interius radiantis Lucis Divinae Magisterio legitime consequitur, Deum Ter Optimum Maximum esse omni homini ratione utenti *per se*, ac *immediate* ante omnem illationem, demonstrationem, & argumentationem aliquo modo *notum*, & necessario ante omnem actum rationis sive perceptivum, sive iudicativum, aut illativum ipsum Deum *sub ratione Entis perfectissimi, seu Entis qua Ens* velut aeternum, immutabile, & incircumscriptum motivum eidem humanae menti naturali irradiatione praelucere, ita tamen, quod plurimi, imo maior hominum pars hanc immediatam rationem, & Dei notitiam reflexe non advertat: nec proinde se reflectendo videant sibi taliter immediate Deum esse notum; nam cum omnis cognitio certa essentialiter innitatur causae, principio, ac motivo certo, & infallibili, per quod deducitur; omnis autem causa infallibilis, aut principium infallibile realiter non sit aliud, nisi ipse Deus; sequitur Deum non habere aliud cognoscendi principium nisi seipsum, adeoque omnibus hominibus in hunc mundum venientibus esse per se notum, non quidem *notitia reflexa*, sed *directa*, idest, omnis ratione utens intelligit rationem, quae ratio Deus est, cum sit aeterna, & praeter Deum nihil aeternum; sed reflexe non cognoscit hanc aeternam rationem realiter esse ipsum Deum, ac proinde intelligentes Deum non intelligunt se intelligere. En, quantum noceat sese non reflectere supra proprium suum intelligere.

CXVII Facile inde conspicitur, quod *Lux mentium*, sive Ratio obiectiva, seipsa sit intelligibilis ab homine; cum enim ponamus Rationem obiectivam, sive lucem mentium esse homini per se notam, eamque esse Deum, sequitur Deum esse homini per se notum. Lucem mentium, seu lumen rationis obiectivum esse Deum benedictum, nemo Catholicorum, aut Christianorum negaverit, cum certum de fide sit, *Verbum, quod erat in principio apud Deum, esse vitam, quae est lux illuminans omnem hominem*

venientem in hunc mundum; nimirum haec lux eiusque illuminatio non arctatur intra ordinem gratiae supernaturalis, sed extenditur ad *singulos* hominum, ita ut constituat naturam rationalem. Iam vero lux non illuminatur, sed illuminat: id, quod illuminat, per se cernitur, quod vero illuminatur, non per se cernitur, sed per lucem illuminantem: ergo vel Deus est nobis per se intelligibilis, si sit nobis lux mentium, vel non est nobis lux mentium, si nobis non sit per se intelligibilis. Ita P. Valerianus Magnus. Lege, quae num. XXIII ex Doctore Angelico ad rem istam desumta videbis.

Lux mentium seu Ratio obiectiva, quia est per se intelligibilis; necessario est extra omnem quaestionem.

CXVIII An enim ab orbe condito quaesitum fuit unquam: *utrum sol exsistat?* eo quod sol per se sit visibilis; at maximae quaestionum moderno hoc seculo esse: *an Deus exsistat? an Deus hominis curam habeat?* ex iis, quae de materialismo eiusque sectatoribus, ac de Libertinis Philosophis hucusque in hoc opere dicta sunt, abundanter constat. Ergo vel falsum est, quod Deus sit *Lux mentium*, vel verum est homines videntes, & Deum negantes, non videre, intelligentes non intelligere. Quod ut nobis quoque aliqualiter contingat, paucis indico, imo te, Lector, testem postulo, quod pleraque intelligas, licet te ea intelligere non intelligas. Videsne, ut sol movetur ab ortu in occasum? Video, inquis; quaero: utrum sol aliquo motore moveatur? Quis dubitat? ais; *omne enim, quod movetur, necessario ab alio movetur*; sed sol movetur; ergo ab alio movetur. Iam vero edicito: quis tibi detexit *motorem* solis, quem nullo sensu cognoscis, & tamen certus es exsistere Ens, quod solem moveat? Rationem assignas: *omne, quod movetur, movetur ab alio.* Ubi autem & quomodo hanc cognovisti esse veram, esse certam rationem? Attende, quae tibi desuper in luce mentium pando.

CXIX Rationem hanc: id, quod movetur, necessario movetur ab alio, tu ponis velut aeternam, & incommutabilem, quam ut assequereris, tu oculos ab intuitu caeli revocasti, & attentus intra mentem tuam recedens contemplatus es *mobile motum*: hoc cognito, quaerebas aliquam veritatem aeternam, & incommutabilem, cui innixus inferres conclusionem superata omni de opposito formidine, quam supponis certissime dari; si enim tantum *pro aliqua temporis mora* sit possibile, *mobile moveri*, nullo coëxistente movente: vel si *alicubi* hoc esset possibile, & non ubique necessarium, formidolosus aut dubius de motoris exsistentia esses, minime vero certus. In mente ergo tua consuluisti reconditam lucem mentium, sive rationem obiectivam, quae tibi *motorem* solis delitescentem detexit, tibi, inquam, non adhibenti oculos corporales, sed oculum mentis, & hoc modo aio te intelligere lucem men-

tium, licet ignores te eam intelligere, non secus ac intelligebas praefatam rationem aeternam, & incommutabilem, licet ignores te eam sic intellexisse. Nonne verum?

CXX Incidenter hic nota, quaerere, *an Deus exsistat?* idem esse, ac inquirere, *an Ipsum esse sit?* & quia omnis quaestio, qua talis, simul dubitatio, seu dubitantis, aut ignorantis est, ille qui serio quaerit: *an Deus exsistat?* aut dubitat, aut ignorat: *an Ipsum esse sit*, aut *an Ipsum esse non sit*. Quis autem mortalium adeo dubius, quis eo usque ignarus sit, ut *an Ipsum esse sit, an vero non sit Ipsum esse*, vel dubitet, vel ignoret? Deum esse *Ipsum esse*, patet ex ratione, & essentia Entis perfectissimi, quod per nomen *Deus* intelligitur. Quid autem *magis est*, quam *Ipsum esse*? quod non potest non esse, quia *Ipsum esse* est *totum*, & *universum esse*, ita ut *omne esse illius* sit, sicut *omne esse ab Ipso esse* est. Cum ergo nullum detur *non esse* in *Ipso esse*, & *universum esse* in *Ipso esse* sit, nemo cogitare potest *Ipsum esse* non esse; si enim cogitat *Ipsum esse* non esse, *Ipsum esse* non cogitat, quia omnis cogitatio est *vitalis imago*, & *vera repraesentatio* sui obiecti, quod cognoscit: quomodo ergo *non esse* posset esse vitalis imago, ac vera repraesentatio *Ipsius esse*? Facilius densissimae tenebrae, quales fuerunt Aegyptiacae, erunt viva, ac vera repraesentatio ipsius lucis solaris, seu ipsius splendidissimi solis, quam *non esse* exprimat, aut repraesentet *Ipsum esse*. Verum permittamus inimicis exsistentis Dei, quod nunquam, utpote impossibile, concedere possumus, permittamus ipsis, eos posse evincere, *Ipsum Esse, seu Deum non esse*: quid hoc proderit eorumdem sive insaniae, sive ignorantiae? Hoc evicto se ipsos convincent, & proprio sese suffocabunt laqueo; fluet enim conclusio inevitabilis: *Ipsum Esse, seu Deum non esse*, dicis. Ergo per te: *Ipsum Esse est non esse*, consequenter *non esse est Ipsum Esse*: ergo dum negas Deum exsistere, Deum etiam negando exsistere affirmas. Ergo etsi per te Deus non est, simul per te exsistit, adeoque per te *idem simul est, & simul non est*. Quidquid igitur contradixeris, sive negaveris, sive affirmaveris, unumquodque tamen erit, sicut est in sua aeterna Ratione: *Ipsum Esse* aeternum erat, aeternum est, & aeternum erit idipsum, quod est, nimirum *Ipsum Esse*, in quo nec est, nec concipi potest ab ullo intellectu aliquod *non esse*. Non enim ideo *Ipsum Esse* est, & reliqua cuncta entia *sunt entia*, quia tu ipsa esse affirmas, neque ideo *Ipsum Esse* non est, & omnia reliqua entia *non sunt entia*, quia tu ipsa esse negas; * sed universa ideo & tantum sunt, quantum in suis aeternis Rationibus, quae in *Ipso Esse* una simplicissima aeterna Ratio obiectiva sunt, tum in propriis suis entitatibus, seu essentiis

* *E' la causa comune di Dio*, (exponit Clemens XIV Ganganelli P. M. Regi Christianissimo Ludovico XV) *e del Cristianesimo, che adesso le participiamo, Carissimo*

per omnipotentem *Ipsius Esse* virtutem in rerum natura subsistunt . . . Nota! Invincibile hoc argumenti genus totum Atheismum tam arcte, fortiterque constringit, ut amplius nec meare possit.

Ratio Entis, qua Ens est Lux, in cuius lumine omnia, ac singula Entia percipimus, iudicamus, & inferimus.

CXXI Ratio obiectiva seu Lux mentium immenso intervallo distincta est ab Entibus per illam cognitis, seu intellectis; nam *Ratio Entis, qua Ens est lux*, in cuius lumine dicimus & apprehendimus *omnia, ac singula Entia*, quae non sunt Ens, qua Ens; sed v. g. lapis qua lapis, stella qua stella &c. Atquae haec lux antecedit omnem apprehensionem, seu perceptionem mentis, estque inapprehensibilis, & imperceptibilis in hac vitae via. Ratio entis, qua ens est lux, in cuius lumine omnia ac singula entia de se invicem affirmamus, aut negamus, *quaecunque non sunt Ens, qua Ens*. Idem dicendum de illatione; atque Ratio Entis, qua Ens antecedit omne iudicium, omnem huma-

Figlio in Gesù Cristo, mentre noi vediamo col più profondo dolore il culto stabilito dal Supremo Legislatore, attacato da lungo tempo da uomini empi, che non lasciano d'indirizzare contro lui i dardi sacrileghi del loro spirito perverso. Si direbbe che hanno fatto una cospirazione generale per rovesciare da cima a fondo con gli sforzi i più audaci quanto vi è di più venerabile, e di più sacro. Non si arrossiscano di produrre ogni giorno una folla di scritti, monumento eterno della loro follia per distruggere fino i primi principii dei buoni costumi, per rompere i legami di tutte le società, e per sedurre le anime semplici col funesto talento, che hanno di seminare i loro dogmi perversi. La stupenda rapidità dei loro progressi ci fa conoscere che non vi è affare più importante, e più premuroso quanto quello di opporre un argine a questo torrente. Non basta il togliere di mano ai lettori tutte le opere avvelenate, ch'escono da questa orribile scuola, bisogna ancora che lo zelo &c.

Hac tempestate, ubi perversorum dogmatum abundat iniquitas, cernitur impletum, quod Apoc. XII scriptum legitur: *& misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen. Mulier* haec *amicta sole* est una, *Sancta, Catholica, & Apostolica* Ecclesia, quae per baptismum Christum *Intelligentiae*, ac *Iustitiae Solem* induit; cuius lumine fidei, & gloriae splendescit; *& luna sub pedibus eius* est philosophica rerum naturae scientia, quae totum rationis lumen a Sole Intelligentiae accipit, supra quam tota Ecclesia elevatione supernaturalis gratiae cernitur sublimata: *& in capite eius corona stellarum duodecim.* Duodecim stellae sunt duodecim Apostoli, a quorum sanctitate, doctrina, & miraculis in suo exordio mirum adeo splendorem accepit, ut eiusdem caput, ceu duodecim fulgentissimae stellae in modum coronae decorarent. Misit autem serpens diabolus ex ore suo, quod perniciosi seductores, falsique doctores, qui erroneas sententias eructanr, esse noscuntur, venenatam aquam tanquam flumen, dum perversissimorum librorum copiam, quibus Ecclesiam perdat, in omnem terram vel hodie adhuc spargendo diffundit. Quid in praesenti discrimine consilii, quidve subsidii? ... Nihil consultius, utilius nihil, *quanto quello di opporre un argine a questo torrente*, nisi fortissimum aggerem huic torrenti opponere, atque omnem diabolicam vim, fraudemque Divini Magisterii potentissima vi repellere sapienter statutum esto, semperque observatum...

nam ratiocinationem, ita ut lux illa sit indiiudicabilis, sitque ininferibilis. Cum igitur operationes mentis nobis, nisi per praeviam lucem mentium non sint possibiles, quamprimum quis niteretur illam lucem *apprehendere*, de illa *iudicare*, aut ratiocinando aliquid *inferre*, eo ipso eandem dimitteret ab oculo mentali, & dilaberetur ad aliorum entium considerationem in lumine lucis mentium, quae non patitur se subiici humanae menti, sed est suprema, unica, & integerrima Ratio percipiendi, iudicandi, ratiocinandi, & quomodolibet aliter intelligendi. Hinc, qui quaerit: *quid sit lux mentium?* dilabitur intervallo ab ea luce ad entium tenebras: & nisi sese corrigat, nunquam assequetur immediate lucem, in cuius lumine cetera intelligit: sed proposuit sibi subiectum entitatis imperfectae, de quo illa affirmat, quae alias uni & soli Deo competunt. Dum vero miscet quadrata rotundis, nimirum Divina creatis, licet intelligat v. g. necessario exsistere Deum, non tamen intelligit, quomodo Divina praedicata conveniant subiecto, de quo illa affirmat, quod velut molestissima humanae mentis tortura est, nulla prorsus patientia toleranda.

Quodnam sit primum omnis scientiae, & omnis actus scientifici firmissimum atque notissimum Principium.

CXXII Sicut *corpora* sunt totale obiectum *cognitionis sensitivae*, ita *Ens* est totale, & adaequatum obiectum *cognitionis intellectivae*. Corpora enim pulsata evolvunt sonum in aures, naribus admota odorem, linguae saporem, tactui tangibiles qualitates, & iucunditatem, aut molestiam organis sensuum impertiuntur: corpora tamen qua corpora, si a luce sensibili illuminata non sint, manent invisibilia; nam lux sensibilis etsi per se visibilis, non tamen lux haec illuminat sonum, odorem, saporem, calorem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem & similia; haec enim non sunt corpora, sed qualitates in corporibus, quae oculis etiam clausis percipi possunt. Cognitionis vero intellectivae totale obiectum est id omne, quod quomodocunque *est*; noncupantur autem *entia* ea, quae *sunt*: ut enim is est amans, qui amat, sic *id est Ens*, quod est, seu quod *exercet actum essendi*. Innumera cognoscimus e. g. *Deum*, *Angelos*, *omnium viventium animas* &c., quae nec oculo cernere, nec ullo alio sensu percipere possumus; neque enim lux sensibilis, aut ulla sensuum facultas dat nobis posse distinguere sensibilia a sensibilibus, *in quantum sunt entia*, sed solum *in quantum sensibilia*. Plane *equus*, & *mulus* cum solem aspiciunt, vident quidem molem corporis splendidam, & figura circulari terminatam, quin tamen *equus*, & *mulus* distinguere possint molem a figura, figuram a colore, nimirum molem sive magnitudinem rei non esse figuram, sive terminationem extensionis; consistit enim ratio figurae in terminatione magnitudinis, non esse colorem, idest, lucem opa-

citate adumbratam, & modificatam, aut longitudinem a latitudine, ideſt, quantitatem extenſam in longum ſine latitudine, & perfunditate ab extenſione quantitatis in longitudinem, & latitudinem ſine profunditate, quales extenſiones dantur in linea, & ſuperficie &c. *Non*, inquam, *haec, & ſimilia agnoſcunt equus, & mulus, quia ipſis non eſt intellectus* (*n.* C); anima vero *rationalis* haec & omnia alia, inquantum *Entia* ſunt, intelligit, & cuiuſcunque *rationem*, ac entitatem perpendit, non adhibitis duntaxat oculis, aut reliquis ſenſibus, ſed *aſpectu ſuae rationis*, quae eſt oculus mentis, in eam intendens *aeternam lucem obiectivam Rationem*, *& Intelligentiae Solem*, qui ſic intelligenti *revelat*, ac *diſtinguit OMNIA Entia*, ut lux ſolis ſenſibilis, & materialis revelat, ac diſtinguit omnia corpora (*Vide, & relege n.* XX *item n.* XLVII, XLVIII, *& ſeq.*). Igitur ex praedictis manifeſte conſtat, Deum Immortalem, ceu naturalem mentis noſtrae Lucem, & intelligentiae noſtrae Solem, ita primum omnis ſcientiae, & omnis actus ſcientifici firmiſſimum, atque notiſſimum eſſe principium, ſicut Lux mundi ſol corporeus omnis viſionis ſenſitivae videtur clariſſimum argumentum. Quod ut adhucdum evidentius perſpicias, uberiorem huius myſterii demonſtrationem, quae in ſubſequentibus numeris CXXIII uſque ad num. CXXXIV excluſive, exponitur, attentiori Rationis tuae aſpectu legas, atque perpendas.

Perfectiones rerum omnium cognoſcibilium colliguntur ad perfectionem, quae eſt Entitatis.

CXXIII Notitiam *Entis perfectiſſimi* ſicut ad rerum omnium ſimplicem perceptionem, ita ad earumdem quoque definitionem omnino neceſſariam eſſe, ex *n.* XXXVII, & XXXVIII ſatis te intellexiſſe ſuppono. Unde ut tum ad praedicti myſterii, tum ad iſtius veritatis ultimum fundamentum uſque pertingas, *cognoſcibilium rerum omnium perfectiones ad perfectionem, quae Entitatis eſt, colligi*, intimius tibi perſpectum reddas. Paullo ante dictum eſt num. praeced. *Corpus eſſe totale ſubiectum ſenſitivae cognitionis*; de corpore enim omnia affirmantur, quae ſenſibus noſtris cognoſcimus, ſeu percipimus, puta colorem, ſonum, odorem, ſaporem, & tangibilem qualitatem. *Ens vero eſt univerſale affirmativum de omnibus*, quae quomodolibet cognoſcuntur ſive per ſenſum, ſive per intellectum: nempe corpus eſt *ens*, color eſt *ens*, ſapor eſt *ens*, tangibilis qualitas eſt *ens* &c. Cum ergo, & ſenſu, & intellectu concipiamus pleraſque rerum perfectiones, ea perfectio, quae eſt *entitatis*, complectitur reliquas omnes v. g. perfectiones molis, coloris, ſoni, odoris, ſaporis, & qualitatum tangibilium. Haec enim ſunt entia, inter quae attenditur perfectio, ſecundum quam cenſemus v. g. colorem perfectum eſſe ens perfectius ſono perfecto, quodque obſervari poteſt inter omnes res

intellectu cognitas, quatenus sunt entia, & aperte deprehendetur omnes perfectiones, quae intra peculiaria rerum genera diversimode participantur a pluribus, esse entia, quae sub entitate perfecta diversimode participant eam entitatis perfectionem. His praescitis necessario deducitur sequens inscriptio:

Perfecta Entitas est Lux Mentium.

CXXIV Ad huius veritatis evidentiam observanda est diversa extensio trium principiorum ad res cognoscibiles. Imago, quae *supponit pro re*, cuius est imago, non ducit hominem ad cognitionem illius rei, praeter illam unicam, quae illam imaginem producit in organa sensuum, qua ratione imago, quam suscepi a *Patre meo*, non me ducit in cognitionem hominis alterius ab illo. E contrario imago, quam a re distinguo, quaeve ob id est velut *idea*, seu *exemplar*, me ducit in cognitionem omnium rerum, quae ideae illi sunt conformes: sic ex praehabita sensibili *idea hominis* discerno omnem hominem a brutis. At imago seu notitia, quam habeo *alicuius perfectionis*, mihi tribuit definire omnes res illas, quae quomodolibet participant de praecognita perfectione. Quia autem nulla est *perfectio*, quae velut ens imperfectum non colligitur sub *Entitate perfecta*, necessario *Entitas perfecta est lux mentium*, quae dat intelligenti omnia entia definire. Porro color in actu est lux quaedam, & color albus est lux distincta ab ea luce, quae secundum se non est colorata; non secus entia, quorum entitates sunt distinctae, non discernuntur, nisi beneficio Entitatis perfectae, & purissimae. Porro haec

Entitas perfecta, seu Ens qua ens; est id omne, quod spectat ad entitatem, & nihil involvit non entis.

CXXV Cum ea experimenta maxime doceant, quae consistunt inter extrema: sic qui experiri vult, ut se habeat mens sua *ad entitatem*, contemplari debet *ens*, & *non-ens*; sicut qui experiri vult, quid sit calor, tenet prius, ut ignis, & glacies se habent ad tactum, aut experiri (bene notetur proprium hoc verbum *experiri*) quid sit lux, observare debet, ut se habet oculus ad lucem solis, & ad noctis tenebras. Hic autem super alia cuncta attendenda venit admonitio P. Valeriani Magni hac in arte versati: *Pondus, ac momenta Lucis intelligibilis*, inquit, * *non gravitate, aut quaestionum obscuritate, aut immenso mentis conatu aestimantur, sed LUCE IMMENSA, quae pellat tenebras, & consequenter intellectionem efficiat tam facilem, tamve obviam, ut RIDICULUM sit*, ait praelaudatus, *inde formare, & urgere quaestionem ullam.* Sed propius ad scopum. Edissere: *Quid est ens qua ens?* Si forte id tibi peregrinum, dic: Albedo qua albedo estne aliquid non

* *P. Valerianus Magnus de luce mentium c. IX*

albedinis? Lux qua lux estne aliquid non lucis? Lux qua lux, dicis, nihil est non lucis, sicut albedo qua albedo nihil est non albedinis: ergo lux qua lux & albedo qua albedo est id omne, quod spectat ad lucem, & ad albedinem: consequenter ens qua ens est id omne, quod spectat ad entitatem: non-ens vero sic nihil est entis, ut ens qua ens nihil est non-entis. En hic entitatem perfectam, en lucem mentium, scilicet ens qua ens, quod nimirum nihil involvit non entis, estque hoc omne, quod spectat ad entitatem, & nihil est non-entis, non est *nihil*, quia est id omne: quod spectat ad entitatem, sive est id omne actu, quod est, aut esse potest. Neque est creatura, quia nihil est non-entis; omnis autem creatura est aliquid non-entis, idest, licet creatura e. g. *homo sit*, tamen involvit aliquid non-entis, in quantum v. g. *non est angelus* &c. Ergo Ens qua Ens est Deus: ergo ratio Entis qua Ens est ratio Entis increati, Entitatis perfectae, & Essentia lucis mentium. Quid clarius? quid certius? quidve solidius?... Sed cave, ne aliquando obliviscaris verborum, quae viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitae tuae: *Pondus ac momenta Lucis intelligibilis non gravitate, aut quaestionum obscuritate, aut immenso conatu aestimantur, sed LUCE IMMENSA, quae pellat tenebras &c.* Repete, quae mox legisti supra: isthaec sunt verba, quae in tabulis cordis nostri non atramento, sed spiritu Dei vivi scripta, nulla unquam oblivione deleantur.

Quomodo Ens perfectum rationabiliter operanti det omnia entia definire, iudicare, & inferre, eaque intelligere.

CXXVI Hucusque omnium dictorum est *Caput summum*, *intellexisse*, *quomodo Ens perfectum* det intelligenti dicere, iudicare, & ratiocinari de omnibus, eaque intelligere. Ad huius claritatem videas lunam motam ab ortu in occasum, hanc & brutum videat. Quid intersit te inter, & brutum intellexisti hic ex num. CXXII Bruto nulla lux lucet, in cuius lumine distinguat molem a figura, hanc a calore &c. Tu vero non solum ea distinguis, sed insuper ratiocinando infers dari ens, quod active moveat lunam, quod movens scis necessario esse vel *motum*, vel *immotum*. Si sit motum, scis necessario ab alio esse motum, & quia in eadem luce intelligis, quod *in moventibus*, & *motis* sit impossibilis processus in infinitum, infers dari necessario *Ens movens immotum*; si enim infinitum sit motum, motum est totum infinitum ab alio *movente non moto*, quod necessario praesupponit, licet sint infinita moventia, cuncta tamen & singula prius sunt ab alio mota, & dein primum moventia alia, quod optime perpendendum, ut manifestius, quod *in moventibus*, & *motis* processus in infinitum impossibilis sit, a quocunque perspiciatur. Movens autem immotum est Ens perfectum, & aeternum, ac eo ipso Incommutabile, quia immobile.

CXXVII Porro hae propositio-

nes: *Quod movetur, neceſſario movetur ab alio*: *in moventibus motis non datur in infinitum proceſſus*: *datur neceſſario movens lunam*: *movens immotum, quod neceſſario eſt Ens Incommutabile, & aeternum, & eo ipſo perfectum*, connotant entia, quae nec oculus, aut alius ſenſuum percipere, nec lux ſenſibilis revelare potuit. Unde ergo haec entia inſenſibilia illabuntur menti humanae? quis ea tranſtulit de tenebris in lumen tuae cognitionis? accipe, quomodo id fiat. Id, quod movetur, acquirit per motum, *qui eſt actus, ſeu perfectio entis in potentia prout in potentia*, aliquid, quod ante motum non habebat; unde Philoſophi ens quomodolibet motum dicunt *ens in potentia paſſiva ad actum*, quem non habet ante motum, quemque acquirit mediante motu: v. g. *lapis ante calefactionem non habet illum actum*, *qui vocatur calor*, *quem tamen habet poſtea*.

CXXVIII Ens conſtitutum in *paſſiva potentia* ad aliquem *actum* non poteſt ſeſe movere de illa *paſſiva potentia* ad *actum*, quem non habet; ſi enim id concederetur, ſequeretur, quod ens aliquod & habeat actum, & non habeat actum aliquem: v. g. ſi lapis ſe ſe mutet de non calore ad calorem, neceſſario, quatenus eſt *mobilis* ad calorem, eſt non habens calorem; ut vero lapis ſe moveat de non calore ad calorem, neceſſario habet eminenter, vel formaliter actum caloris: *nemo enim dat, quod non habet*. At eſt impoſſibile, quod *ens ſimul ſit ens, & non ens*; ens enim neceſſario eſt ens: non ens autem neceſſario eſt non ens; ita ut ſit impoſſibile ens eſſe non ens, & non-ens eſſe ens. Atque ex hac incommutabili veritatis neceſſitate inferimus lunae motae coëxiſtere motorem, licet hunc nec videamus oculo, nec ullo ſenſu percipiamus. Cum autem illa entia dicantur *mobilia*, quae ſunt in *paſſiva potentia* ad ſuſcipiendum aliquem actum: nimirum quod eſt eminenter id omne, quod poſſibile eſt eſſe. Eiuſmodi vero ens eſt perfectum, & divinum, & lux mentium, ac de ſe, & per ſe, ſi obiecta rationi humanae ſit, intelligibilis; attamen humana mens, niſi aliunde moneatur, non tam facile habet, unde ſe ſe in eam convertat, ſeu reflectat ſuper eam. Prope communis ſive miſeria, ſive incuria!...

Primum omnium ſcientiarum principium firmiſſimum, notiſſimumque eſt Deus ſub ratione Entis perfecti.

CXXIX Manifeſtum itaque ex praedictis Lectori ſe exhibet *primum ſcientiarum omnium principium firmiſſimum notiſſimumque Ens qua Ens, quod actu illud omne eſt, quod ſpectat ad entitatem, & nihil eſt non-entis.* Nam illud Principium eſt omnium aliorum principiorum primum, firmiſſimum, atque notiſſimum, in quod tamquam in rationem obiectivam, incommutabilem, & aeternam omnia alia ſcientiarum principia tanquam ratio ſubiectiva reſolvuntur. Abſolute enim *primum Principium* eſt, quod *non eſt in, & ab alio, ſed omnia alia ſunt in, & ab ipſo*, eſtque ipſe Deus, qui Ens qua Ens per

praedicta demonstratus est ratio obiectiva, aeterna, & incommutabilis, definitiva, & aeternaliter determinativa omnis quaestionis de vero, aut falso, de iusto, aut iniusto, de possibili, aut impossibili, exsistens lex essendi incommutabilis, lux intelligendi notissima, regula volendi exactissima, ac mensura unica, quae sola dat menti creatae ratiocinari, ac intellectualiter vivere, atque unicus Magister noster internus. Illud enim Ens, quod est actu omne id, quod spectat ad entitatem, debet necessario esse etiam omne id, quod sunt reliqua principia simul sumpta; nam & haec habent entitatem; atqui praeter Deum, qui est Ens qua Ens, non est aliud, quod est actu omne id, quod spectat ad entitatem: ergo solus Deus, sive Ens qua Ens, est principium principiorum omnium primum, seu quod idem est, principium principiorum, quod tanquam lux mentium ex sua infallibili, incommutabili, & aeterna veracitate dictat immediate omnia alia prima principia. Profecto solemne Principium, * supra quod aliud reperitur nullum!

* Cum Sacrosancta Theologia super *divinam revelationem*, ceu Regina Esther supra suam famulam, innitatur, quasi prae deliciis, & nimia teneritudine corpus ferre non sustinens; altera autem famularum *ratio humana* rationabili obsequio defluentia in humum indumenta sustentando suam Dominam Ss. Theologiam, ceu suam Reginam, sequatur, benevolo Lectori, quod de hac Domina, & de huius ancilla Ganganelli sentit in Epistola, quam Cardinali Querini inscripsit, displicere vix poterit: *Una volta*, inquit, *non v'era che una sola maniera di spiegare cotesta scienza della Teologia cotanto sublime, la quale riconoscendo la propria sorgente dal medesimo Dio, si diffonde in mezzo alla Chiesa a guisa del più abbondante, e maestoso fiume, e questa è quella che chiamasi* positiva. *Si contentavano, per rispetto certamente alla sacra dottrina delle Scritture, de' Concilii, e de' Santi Padri, di porre semplicissimamente sotto gli occhi degli studenti la morale, e i dogmi Evangelici ...*

La Chiesa poi sempre agitata dalle tempeste, quantunque assisa sul sacro monte, le cui fondamenta saranno eterne, vedesi di tempo in tempo uscir fuori dal seno certi figli ribelli, che impararono l'arte di sofisticare; ed il loro linguaggio artifizioso fu quello che obbligò i difensori della Fede a servirsi della sillogistica forma.

E' nota a tutti oramai quell'epoca, nella quale certi Dottori si armarono di entimemati, e di sillogismi per rintuzzare fino nelle più interne trincere quegli eretici che disputavano sopra ogni senso della Scrittura, e sopra tutti i termini. Tommaso, l'Angelo della scuola, Scoto, il Dottor Sottile, credorono di doversi servire della medesima forma, e così insensibilmente questo loro metodo avvalorato dalla luminosissima loro riputazione, prevalse poi in tutte le Università sotto il nome di Scolastica ...

Perlochè la Teologia positiva può assomigliarsi a un magnifico giardino, e la Scolastica ad una siepe bene armata di folte spine, per impedire che le danneggianti fiere non vi penetrino per divastarlo.

Si Philosophia Ss. Theologiae, quae velut Regina Esther procedit suo *rationabili obsequio* ceu prudens virgo, & fidelis famula inserviat; tua autem, quam profiteris, Philosophia, quia materialistica, atheistica, atomistica vel libertina *Virgo fatua* lampadem sine oleo virtutis, & sine lumine veritatis portat, quomodo suum,

Idem principium confirmatur auctoritate Doctoris Seraphici Sancti Bonaventurae.

CXXX Quod Deus sub ratione Entis perfecti primum omnium scientiarum principium, defendit Seraphicus Doctor D. Bonaventura. Hic de speculatione Dei per suam imaginem naturalibus potentiis insignitam ita discurrit. * Quoniam autem praedicti gradus speculationis Dei per vestigia eius in universo, per quae in cunctis creaturis relucet, manduxerunt nos usque adhuc, ut ad nos intraremus, in mentem scilicet nostram, *in qua divina relucet imago*, hinc est, quod iam tertio loco ad nosmetipsos intrantes, & quasi artium forinsecus relinquentes, in Sanctis Sanctorum, scilicet anteriori parte tabernaculi, conari debemus per speculum videre Deum, ubi ad modum candelabri relucet lux veritatis in facie nostrae mentis, in qua resplendet imago beatissimae Trinitatis. Intra igitur ad te, & vide, quoniam mens tua amat ferventissime semetipsam: nec se posset amare, nisi se nosceret: nec se nosceret, nisi sui meminisset; quia nihil capimus per intelligentiam, quod non sit praesens apud nostram memoriam. Et ex hoc advertis animam tuam triplicem habere potentiam, non oculo carnis, sed oculo rationis. Considera igitur harum trium potentiarum operationes, & habitudines, & *videre poteris Deum tanquam per imaginem*, quod est videre per speculum, & in aenigmate.

CXXXI Inde pergit S. Doctor idipsum demonstrare per nostram memoriam: *operatio autem memoriae*, ait loco cit. *est retentio, & repraesentatio non solum praesentium, corporalium, & temporalium, verum etiam succedentium, simplicium, & sempiternalium*; retinet namque memoria praeterita per recordationem, praesentia per susceptionem, futura per praevisionem: retinet etiam simplicia, sicut principia quantitatum continuarum, & discretarum, ut punctum, instans, & unitatem, sine quibus impossibile est meminisse, aut cogitare ea, quae principiantur per haec. Retinet nihilominus scientiarum principia, & dignitates ut sempiternalia, & sempiternaliter, quia nunquam potest sic oblivisci eorum, dummodo ratione utantur, quin ea audita approbet, & eis assentiat, non tanquam de novo percipiat,

---

quod iuste desideratur, eidem servitium praestabit?.. Aut si Ss. Theologia magnifico horto comparetur, & Philosophia rationalis ceu sepes acutis spinis armata eundem Theologicum hortum contra irruentes feras custodiat; tua vero Philosophia non tam sepes ancleata, quam horrida, quae errorum, vitiorumque bestiis referta est, silva conspicatur, edicito: qua arte Ss. Theologiae hortum a vastatione ferarum, bestiarumque tutum, & illaesum servabit?... Bene id nota, si Philosophus Christianus, si Ecclesiasticus sis: & qui *de omni verbo otioso rationem reddes*, de tua inutili, futili Philosophia quanta a te severo Iudici reddenda sit ratio, exactius computando mature te praepara...

* *S. Bonav. in Itin. mentis in Deum c. III*

sed tamquam sibi innata, & familiaria recognoscat. Sicut patet, si proponatur alicui de quolibet affirmatio, & negatio, vel omne totum est maius sua parte, vel quaecunque alia dignitas, cui non est contradicere, admittitur ratione. Ex prima igitur retentione actuali omnium temporalium, praeteritorum scilicet, praesentium, & futurorum, habet *effigiem aeternitatis*, cuius praesens indivisibile ad omnia tempora se extendit. Ex secunda apparet, quod ipsa non solum habet ab exteriori formari per phantasmata, verum etiam *a superiori suscipiendo*, & in se habendo simplices formas, quae non possunt introire per portas sensuum, & sensibilium phantasias. Ex tertia habetur, quod ipsa habet *lucem incommutabilem sibi praesentem*, in qua meminit invariabilium veritatum. Et sic per operationes memoriae apparet, quod ipsa anima est imago Dei, & similitudo, adeo sibi praesens, & Eum habens praesentem, quod eum actu capit, & per potentiam capax eius est, & particeps esse potest. Post haec Sanctus Doctor descendit * ad operationem virtutis intellectivae, quae supra n. XXXVII fuit relata.

Doctori Seraphico circa Primum scientiarum omnium Principium consentit Doctor Angelicus.

CXXXII Divus Thomas Aquinas ad rem nostram ** ita loquitur: dicendum, quod certitudo Scientiae tota oritur ex certitudine principiorum. Tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia, & ideo, quod aliquid per certitudinem sciatur, est ex lumine rationis, (scilicet Superioris) divinitus interius indito, *quo in nobis loquitur Deus*: non autem ab homine exterius indito, nisi quatenus

* Amice, ut ad pauca, quae sequuntur, studiosius attendas, vehementer te rogo. En, quanta crudelitate hisce temporibus in propria sua viscera desaeviunt, qui argumentum ex *auctoritate* doctissimorum, probatissimorumque virorum petitum saltem in philosophicis audire nolunt; dum enim tantorum virorum scientiam, maiorumque probitatem, veluti nulla attentione dignam, petulanter contemnunt, se ipsos, utpote qui illis maioribus in scientia, & virtute multo minores exsistunt, nec in propriis suis verbis, quae proferunt, neque in suis scriptis, quae tradunt, ullo honore, aut ulla fide dignos palam ostendunt. At in philosophicis solam *rationem*, non *auctoritatem* audiendam praetendunt, turpiter ignorantes, ipsam quoque *auctoritatem*, *scientiam*, & *virtutem* suam habere *praestantissimam rationem*, quae in sana philosophia argumentum ab *extrinseca ratione* dictum, illi ipsi, quod ex *intrinseca rei ratione* assumitur, in sententiae cuiusdam demonstratione praeponendo associatur. Quapropter dum operis istius argumentum SS. Patrum, & Doctorum Augustini, Thomae, & Bonaventurae, necnon PP. Valeriani Magni, & Iuvenalis venerabili auctoritate firmatum cernis, quanta singulorum doctrinam observantia venerari te oporteat, ex praedictis sapienter noveris.

** *S. Thomas de veritate q. XI de Magistro art. I ad. XIII.*

conclusiones in principia resolvit, nos docens: ex hoc tamen nos certitudinem scientiae non acciperemus, nisi inesset nobis certitudo principiorum, in quae conclusiones resolvuntur; ac proinde *notitiae certitudo* non provenit nisi *a rebus aeternis.* Cum autem *de luce*, & *lumine* in hoc opusculo frequens fiat mentio, sedulo observare oportet, quatenus lumen hoc sive lux, secundum quod ad intellectum pertinet, est quaedam *manifestatio veritatis*, iuxta illud Apost. ad Eph. V: *omne, quod manifestatur, lumen est*; unde *illuminare nihil aliud est, quam manifestationem agnitae veritatis alicui tradere*; lumen quippe est illud necessarium principium, quod de visibili potentia facit visibile actu; nomen enim *luminis*, secundum Doctorem Angelicum, * primo est institutum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus; postmodum autem extensum est ad significandum omne illud, quod *facit manifestationem* secundum quamcunque cognitionem. Hoc *lumen spirituale* ita se habet ad *oculum spiritualem*, sicut se habet *lumen sensibile* ad *oculum sensibilem*: & sicut visio intellectualis est nobilior, quam visio corporea; ita, teste S. Augustino, ** in spiritualibus *melior*, & *certior* lux est, & quod Christus non sic dicatur *lux*, quomodo & *lapis*; sed *lux* dicitur *proprie*, *lapis* vero tantum *figurate*.

Lux mentium lucet in tenebris, & tenebrae eam non comprehenderunt.

CXXXIII Ita scribit per universum mundum Sanctus Ioannes Evangelista. *** Quid illa lux sit, audisti; at tenebrae quid sint, non satis comprehendis: a nota similitudine totam rem accipe. Lux solis totum percurrit, & illuminat orbem, & tamen lux haec amplissima, sidus hoc splendidissimum minime discernitur, nec advertitur ab eo, cuius sunt oculi vel clausi, aut laesi, vel alio modo ab actu visionis impediti: vel quia huius tam nobilis obiecti pertaesus, dedignatur sua lumina in illud coniicere, aut obiecta illuminata videre; ita pariter, quamvis *Sol Intelligentiae illuminat omnem hominem*, tamen a paucis illuminatio haec percipitur; non quia defectus est ex parte Solis, sed ex parte aspicientis: sicut sol corporeus omnia reddit visu, ita & Sol intelligentiae omnia *intellectu facillima*, quantum est ex parte obiecti visibilis, non autem quantum est ex parte videntis, aut intelligentis, in quo tamquam in speculo relucet luminis vultus Divini imago. Quod ut clarissime perspicias, duo soli empyreo expone specula, unum purissimum, alterum multis maculis obfuscatum; in utrumque incidit species, & forma unius eiusdem solis, & tamen non ab utroque idem solis splendor formatur. Et cur hoc?

* *S. Thomas I p. q. CVI a. I item I p. q. LXVII a. I.*

** *S. August. lib. IV super Genes. ad litt.*

*** *Ioan. c. I.*

Causam dicis esse claram, eo quod unum sit purum, alterum speculum obscurum. Abstergas autem & in hoc maculas, & eumdem in utroque speculo observabis splendorem. Commissa peccata, inordinatae animi tui passiones, etsi veluti sint minimae, turba phantasmatum ex imaginatione, & cibi potusque sumptione collectae, torpor mentis, & negligentia aspectus, distractio, & tepiditas mentis sunt maculae quotidianae, quibus tuae mentis speculum *obruentibus difficillime*, iisdem vero, ceu nubibus in aëre, *dissipatis facillime* radios Solis intelligentiae suscipis, capis, percipis. Atque hoc mysterium sapientibus mundi absconditum, paucissimis notum est, aut perspectum. Tu igitur solicite curabis, ut praedictas maculas in mentis tuae speculo solerter abstergas, & mundo corde beatissimam Solis Intelligentiae lucem feliciter comprehendas, sicque plene illuminatus vivas.

Omne Ens est Unum, Verum, Bonum.

CXXXIV Ad uberiorem notitiam Lectori plurimum inservire poterit, si tres Entis proprietates, quae sunt *Unitas*, *Veritas*, *Bonitas*, studiosius adnotaverit. Ratio istarum Entis proprietatum est, quia quidquid habet rationem Entis realis, illud est indivisum in se, & divisum a quolibet alio: item est id vere & proprie, quod est, & non est, quod solum apparet esse; & est integrum & perfectum. Primum consequitur *Unitas*, * secun-

* Si primum tum *unitatis*, tum *distinctionis* rerum omnium Principium ex suo fundamento tibi manifestum velis, idipsum paucis accipe. Sicut ad universi huius perfectionem non tantum incorruptibilia, & a Bono indefectibilia, sed etiam corruptibilia esse oportet; ita eiusdem *universi perfectio*, ut omnes Bonitatis gradus, qui duobus hisce terminis, *nunquam ab esse seu Bono deficere, & aliquando ab esse seu Bono deficere*, concluduntur, manifesti fiant, in rebus *inaequalitatem* necessario postulat. Propterea non minus *distinctio* rerum, & *multitudo*, quam earundem unitas, seu entitas ex intentione Primi agentis, quod Deus est, ceu ex sua prima featurigine, profluit; Deus enim res propter suam Bonitatem *communicandam* creaturis, & per eas *repraesentandam*, in *esse* produxit. Quia vero immensa Bonitas sua per unam creaturam repraesentari non potuit, multas, & diversas creaturas, ut quod uni ad repraesentandam divinam Bonitatem deest, in alia suppleatur, Creatori producere placuit. Nam Bonitas, quae in Deo est simpliciter, & uniformiter, in creaturis est multipliciter, & divisim, & ideo Divinam Bonitatem perfectius participat, & repraesentat totum universum, quam alia quaecunque creatura. Divina igitur sapientia est causa *distinctionis* rerum omnium prima; ideo Moyses Gen. 1 dicit res: *Verbo* Dei, quod sapientiae est conceptio, esse distinctas: *dixit Deus: fiat lux, & divisit lucem a tenebris*. Eadem autem sapientia est prima causa *inaequalitatis* rerum, prout & distinctionis; duplex enim distinctio invenitur in rebus, una *formalis*, *sive specifica*, in his quae differunt *specie*, alia vero *materialis*, in illis, quae tantum *numero* differunt. Formalis distinctio inaequalitatem semper requirit, quia sicut numeri sunt rerum formae, ut dicitur lib. VIII metaph. lex. X tom. III in quibus species variantur per ad-

dum *Veritas*, tertium *Bonitas*. Cumque unumquodque sit *cognoscibile* & *Verum* in quantum est *Ens*, *Verum* ipsum cum *Ente* converti necesse est, sicut & *Bonum*; addit tamen *Verum* ipsi Enti ordinem ad intellectum, & propter hoc dicitur, *quod anima sit omnia secundum sensum & intellectum*. (*n.* XXVI) *Verum* igitur, quod est in rebus, convertitur cum *Ente* secundum substantiam; *Verum* autem, quod est in intellectu, convertitur cum *Ente*, ut manifestativum cum manifestato, quod est de ratione *Veri*. Pariter licet *Bonum* & *Verum* convertantur cum *Ente*, differunt tamen *ratione*, & secundum hoc *Verum*, absolute loquendo, prius est quam *Bonum*. Patet id primo quidem ex hoc, quod *Verum* propinquius se habet ad *Ens*, quod est prius quam *Bonum*; nam *Verum* respicit ipsum *esse* simpliciter & immediate; *ratio* autem *Boni* consequitur *esse*, secundum quod est aliquo modo *perfectum*, sic enim appetibile est. Secundo, apparet ex hoc, quod cognitio naturaliter praecedit appetitum: hinc cum *Verum* respiciat cognitionem, *Bonum* autem appetitum, prius erit *Verum*, quam *Bonum* secundum *rationem*: secundum hoc autem est aliquid *prius ratione*, quod prius cadit in intellectu, & inprimis intellectus apprehendit *ipsum Ens*, & secundo intelligit *se intelligere Ens*, & tertio apprehendit *appetere Ens*. Hinc primo est *ratio Entis*, secundo *ratio Veri*, tertio *ratio Boni*. De his quantum Ratio aeterna seu Magister Christus Dominus te informat paucis accipe.

ditionem, & subtractionem unitatis, hinc in rebus naturalibus gradatim species ordinatae esse videntur, sicut mixta corpora perfectiora sunt elementis, & plantae corporibus mineralibus, animalia perfectiora sunt plantis, & homines aliis animalibus, in quorum singulis species una perfectior aliis reperitur.

Opportune petis: quid secundum aeternae Rationis magisterium *de distinctione rationis ratiocinantis* tenendum? Respondetur: idipsum quod est, nimirum quod sit distinctio, dum ratio eandem rem distinguit a se ipsa, *ut ensem a gladio*, *sine ullo fundamento*, idest *sine ulla ratione*: ergo sicut est *sine fundamento*, *sine ratione*, ita & a suis patronis adstruitur *sine fundamento*, *sine ratione*; *dici* enim sequitur ad *esse*. Aut qua ratione Ratio ratiocinans, quae solum secundum aeternam Rationem recte operatur, *eandem rem non esse eandem rem* posset concipere sine falsitate? an non *eadem res esset simul eadem res*, *& simul non eadem res*, saltem in ratione tua sic ratiocinante, & sic distinguente? Sicut enim qui distinguit *Petrum a Paulo* dicit: *Petrus non est Paulus*, ita etiam, si eandem rem distinguis a se ipsa, dicis saltem in tua ratione: *eadem res non est eadem res*, *haec domus non est haec domus*, consequenter eandem rem esse eandem rem, & simul non esse eandem rem cognosceres, quia sic distingueres. Hoc autem non tantum est *contra totam Rationem unitatis, & identitatis*, sed etiam *contra omnem possibilitatem*. Incommutabilis Ratio dictat, *idem indistinguibile in se illud esse*, *quod nullo modo*, *nulla ratione est distinguibile*. Secus iterum *esset simul idem*, *& simul non esset idem &c.* Merito igitur ex *schola Rationis* distinctio *rationis ratiocinantis*, tanquam minus habens est dimittenda, & sola, quae cum rationis fundamento distinguit, retinenda.

Veritas creata est conformitas Entis creati cum ideis, & rationibus aeternis, quae sunt in mente Dei.

CXXXV Nulla creata veritas est aeterna, sola veritas Intellectus Divini, qui solus aeternus est, pariter est aeterna, a quo ipsa eiusdem veritas est indistincta; res enim denominantur *Verae* a veritate intellectus; unde si nullus intellectus esset aeternus, nulla quoque veritas esset aeterna; & quia solus intellectus Divinus est aeternus, in ipso solo veritas aeternitatem habet. Ex quo sequitur, quod, quia intellectus noster non est aeternus, nec veritas enunciabilium, sive propositionum, quae a nobis formantur, sit aeterna, sed quandoque inceperit; & antequam huiusmodi veritas esset, non erat verum dicere veritatem talem esse, nisi ab Intellectu Divino, in quo solo veritas est aeterna; sed nunc verum est dicere veritatem tunc non fuisse. Intellectus Divinus, qui est causa rei, comparatur ad ipsam sicut regula & mensura: & sic veritas consistit in hoc, quod res adaequentur Intellectui Divino; e contrario intellectus, qui accipit scientiam a rebus, comparatur ad rem sicut regulatus, & mensuratus a re tamquam regula & mensura, & sic veritas consistit in hoc, quod intellectus noster adaequetur rei. Unde *veritas transcendentalis est conformitas Entis subiectivi, & creati cum ideis & rationibus aeternis & obiectivis, quae sunt in mente Dei.* * Conformitas enim inter intellectum & rem est veritas; sed inter Ens creatum & Intellectum Divinum, seu rationem & ideam obiectivam datur conformitas, utpote quia omnia secundum Rationes aeternas, quae in Intellectu Divino, ut vita & lux hominum exsistunt, facta sunt, sicut in antecedentibus hucusque demonstratum est: ergo inter Intellectum Divinum, & ens creatum datur veritas, & quidem transcendentalis, quae in omni ente creato reperitur, quandocunque secundum rationem examinatur, in quantum totum esse entis creati est *esse ab alio Ente, quod per se ipsum est Ens Optimum, Maximum, Unicum.* Ens enim creatum, seu creatura ita se ha-

* Quae *Veritati* opponitur *falsitas*, est *diformitas entis cum ideis, & aeternis Rationibus in Divino intellectu exsistentibus*. Rationem huius assignat Doctor Angelicus ex eo, quod *verum*, & *falsum* opponantur, opposita autem sunt circa idem: necesse est ergo, ut ibi prius quaeratur *falsitas*, ubi primo *veritas* invenitur, hoc est in intellectu. In rebus autem neque *veritas*, neque *falsitas* est, nisi per ordinem ad intellectum. Dependent autem ab intellectu divino res naturales sicut ab intellectu humano res artificiales. Dicuntur igitur res artificiales *falsae* simpliciter, inquantum deficiunt a *forma*, & *ab idea artis*, ideo dicitur aliquis artifex opus *falsum* facere, quando deficit *a Ratione artis.* Sic autem *falsitas* in rebus, quae a Deo dependent, inveniri non potest; quidquid enim in rebus accidit, ex sapientissima Divini intellectus ordinatione, sive *Ratione* procedit. Excipe libera agentia, in quorum libertate est sese ab ordinatione Divini intellectus subducere, in quo *malum culpae* consistit, ideo peccata *falsitates*, & *mendacia* dicit Regius Psaltes psal. IV *ut quid di-*

bet ad Deum, ſicut ſe habet *radius ad ſolem*, ſecretum hoc praeclare aeque, ac profunde explicat Ecſtaticus vir P. Benedictus Anglus *, ita enim radius hic ſuae cauſae productivae ſcilicet ſoliſe debet, ut abſque huius perpetua ſuſtentatione, ac communicatione ille nequeat ſubſiſtere, pari omnino ratione, ita *omnimoda eſt creaturarum a Deo dependentia*, ut ſine huius continua conſervatione, illae nequaquam poſſint exſiſtere: utque radius integre ad ſolem; ita creatura integre ad Creatorem eſt reducenda iuxta maximam: *Omne ens per participationem tale refertur ad ens per eſſentiam tale.* Et conſequenter uti quidquid eſt in radiis ita relatis, non eſt aliud, quam ipſe ſol, ita nihil eſt in creaturis, quod non ſit ipſe creator *participative*; ac proinde quemadmodum ſol non [illegible]rius abditur, ac ſubducitur, quin eſſe deſinant radii; ita ſi Deus ſeſe abſconderet, ac creaturis veluti manum ſubtraheret, eadem continuo evaneſcerent. Verum uti radii, etſi nihil contineant, quod non ſit ſol participative, in ſe tamen ſpectati eſſentialiter non ſunt ſol, ſed aliquid ab eo dependens, vel eius quaedam ſcintilla; ea quoque ratione creatura, quamvis id omne, quo conſtat, Deus *participative* ſit, nihilominus Deus non eſt, ſi in propria natura ſumatur. Unde ſi ſcire cupis: quid creatura, tum *poſſibilis*, tum *actualis*, ſit? Reſpondetur: *creatura*, tam *poſſibilis*, quam *actualis*, *aliud non eſt*, *niſi mera a Deo dependentia.* Ita praelaudatus.

Unumquodque eſt Bonum, in quantum participat primum Ens per ſe Bonum, ſeu Bonum qua Bonum.

CXXXVI Omnia ſunt bona Divina Bonitate *extrinſece*, & *cauſaliter* ac *idealiter*, bonitate vero propria *formaliter*, inquantum unumquodque participat primum Ens *per ſe Bonum*, ſive *Bonum qua Bonum* per modum cuiuſdam aſſimilationis, licet etiam remote & deficienter. Unde unumquodque dicitur *Bonum* ex Divo Thoma * Bonitate Divina, ſicut primo principio exemplari, effectivo, & finali totius bonitatis; nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum ſimilitudine bonitatis ſibi inhaerente, quae eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſum. Et ſic eſt bonitas una omnium,

ligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? ſicut econtra operatio virtuoſa *Veritas vitae* nominatur, inquantum ſubditur ordini Divini Intellectus, Ioan. III *Qui facit veritatem, venit ad lucem.* Sicut igitur *veritas formalis eſt conformitas entis ſubiectivi cum ideis, & Rationibus obiectivis, quae ſunt in mente Dei*, ita econtrario *falſitas formalis eſt diformitas entis ſubiectivi cum ideis, & Rationibus obiectivis in mente Dei.* Unumquodque enim vel eſt conforme ideis & Rationibus ſuis aeternis, vel non eſt conforme: ſi eſt conforme, eſt verum: ſi non eſt conforme, eſt falſum, idque eo plus, minuſve, quo magis, aut minus a conformitate, ſeu veritate deficit.

* *P. Bened. Anglus Canfeldenſis Capucc. in ſua altiſſimae perfectionis regula parte III c. VIII*

& etiam multae bonitates. Unde omnia appetendo proprias perfectiones, appetunt ipsum Deum, in quantum perfectiones omnium rerum sunt quaedam similitudines Divini esse. Quaedam tamen eorum, quae Deum appetunt, ipsum cognoscunt secundum se ipsum, quod est proprium creaturae rationalis: quaedam vero cognoscunt aliquas participationes suae bonitatis, quod etiam extenditur ad cognitionem sensibilem: quaedam autem appetitum naturalem habent absque cognitione, utpote inclinata ad illos fines ab aliquo superiori cognoscente, ut plantae, & corpora inanimata inclinantur per solam habitudinem & appetitum naturalem; & sic omnia suo modo per appetitum inclinantur in *Bonum*, cum omnia procedant ex voluntate Divina.

Pulchrum quid superaddit Bono?

CXXXVII **B***onum* est causa prima & praecipua, imo aliarum causarum *amoris* prima ratio; amor enim est passio quaedam appetitus, & complacentia amantis ad rem amatam: solum autem bonum est proprium appetitus motivum, nec res placet ulla, nisi quatenus conveniens est appetitui, proindeque bona: & ideo *pulchrum* continetur sub *Bono*, imo secundum *rem* sunt idem, quia super eamdem rem fundantur, nimirum super formam, & propter hoc *bonum* laudatur ut *pulchrum*, sed ratione differunt; nam *bonum* proprie respicit appetitum, *est enim bonum, quod omnia appetunt*, & ideo habet rationem finis; nam appetitus est quasi quidam motus ad rem. *Pulchrum* autem respicit vim cognoscitivam; *pulchra enim dicuntur, quae visa placent*; unde pulchrum in debita proportione consistit; quia sensus delectatur in rebus debite proportionatis, sicut in sibi similibus; nam & sensus ratio quaedam est, scilicet particularis, & omnis virtus cognoscitiva; & quia cognitio fit per assimilationem, similitudo autem respicit formam, pulchrum proprie pertinet ad rationem causae formalis. Unde *Pulchrum* est *Bonum*, imo quaedam excellentia, diffusio, flos, splendorque bonitatis, & ita est causa efficacissima amoris... Attendas!.. Quae igitur praepotens causa amoris ad Deum ex toto corde, & ex tota mente redamandum te compellit, qui solus & unus est *Bonum Optimum*, *Bonum Pulcherrimum*, cuius perfectio est infinita, & cuius pulchritudo est immensa?..

Bonum praecipue dividitur in obiectivum, & subiectivum.

CXXXVIII **B**onitas rerum alia est *absoluta*, quam res in se habet, & est idem ac perfectio rei: esse bonum hac bonitate est esse perfectum & integrum, iuxta illud S. Dionysii: *Bonum ex integra causa*. Alia bonitas *relativa*, quae respicit alia, quibus res una bona est. Bonum in se aliud est *essentiale*, quod est perfectum essentialiter, constans ex omnibus, quae ad essentiam eius spectant, ita ut nihil ei desit: aliud *integrale*, cui nulla pars integra-

lis deest, ut *homo*, cui nec brachia, nec manus, nec digiti &c. desunt, & tandem aliud bonum est *accidentale*, quod non solum omnem perfectionem essentialem, & integralem substantialem, sed etiam omnem perfectionem sibi congruentem habet, ut *homo*, qui non solum est integer; sed etiam sanus mente & corpore, sapiens &c. Bonum relativum sive respectivum aliud est *honestum*, quod per se decet naturam rationalem, sive quod in se habet, ut desideretur, & appetatur, ut omnis virtus: aliud *delectabile*, quod nullam aliam habet rationem appetibilitatis, nisi voluptatem, cum alias sit noxium, & inhonestum: aliud *utile*, quod non habet in se, unde desideretur, sed desideratur solum, ut est ducens in alterum, sicut sumptio medicinae amarae; attamen istud bonum *utile* facile sive ad bonum *honestum*, aut *delectabile* ordinatur.

CXXXIX Praecipue vero consideranda est divisio *Boni* in *Bonum obiectivum*, & *subiectivum*. Obiectivum est *ipsum Bonum universale*, sive *Bonum summum*, aut *Bonum qua Bonum*, idest, tibi ex praedictis & praelectis fat nota *Ratio obiectiva*, quae sicut est aeterna & incommutabilis lex essendi, secundum quam, & per quam facta sunt omnia, & lux intelligendi, per quam intelliguntur omnia, ita etiam est *regula immutabilis & aeterna omnia volendi*. Haec regula est: *Bonum qua Bonum, est id omne, quod spectat ad bonitatem, & nihil est non boni*; non aliter quam sicut Ens qua Ens est id omne, quod spectat ad Entitatem, & est nihil non entis iuxta dicta *num.* CXXV. Quod Ens qua Ens sit essentiale, aeternumque intelligere, observavimus reflexi super nostrum intelligere innixum veritatibus aeternis, & illativae necessitati, quam nihil vetat, nec vetare potest. Quod autem hoc ipsum Ens qua Ens sit essentiale, aeternum, & *incommutabile amare*, deprehendere possumus attenti super amare nostrum sic innixum aeterno & incommutabili *amare*, sicut nostrum intelligere innixum est aeterno & incommutabili *intelligere*. Nam praeter propositiones *aeternae veritatis*, quas intelligimus, habentur etiam aliae, quae sunt *aeternae Bonitatis & Iustitiae*. Quod totum maius sit sua parte, est propositio veritatis aeternae: quod vero *Bonum summum sit super omnia amandum*: *Parentes & Superiores sint honorandi*: quod *proximus sit diligendus*: *Alteri facias, quod tibi vis fieri*: *Genuine amare est proximo verum bonum velle & facere*; *unicuique, quod suum est, tribuere*: *Mala libentius tollerare, quam facere*: *Contemnere terrena & caelestia amare*: *Thesaurum auri & argenti per eleemosynam in aeternum gazophilacium transferre*: *Propriam voluntatem abnegare, & Divinam aut superiorum facere*: *A voluptatibus carnis abstinere, & carnem suam, ac huius desideria crucifigere &c.* sunt propositiones *aeternae Bonitatis*; vix enim formaliter, & secundum explicitum verum est *summum Bonum esse amandum &c.* sed id *Bonum* & *Iustum* est, quamvis & hoc *Bonum in se sit verissimum*. Haec autem *Bonitas* & *Iustitia* non est tantum Bona in aliquo

loco, & aliquo tempore, v. g. hic *Calaris*, aut ibi *Taurini*, & hodie aut cras, adeoque non est circumscripta loco aut tempore, vel mutationi obnoxia est, sed ubique & semper summum Bonum diligere & Bonum & Iustum est: cuius rei veritatem pariter incommutabilem clarissime in luce mentium conspicimus, si *Bonum qua Bonum* secundum regulam & mensuram *Entis qua Ens* examinamus, atque illud ad electionem voluntatis, sicut hoc ad ratiocinationem intellectus sedulo applicamus; nam

Bonitas obiectiva Summi Boni est immutabilis Regula omnia rationabiliter volendi, & amandi.

CXL Attentius hic venit observandum, quod *intelligere* non sit *amare*; *intelligere enim est aliquid intus se legere*; *amare vero alicui bonum velle*, sive *appetere*. Est autem amor generaliter illud principium, quo appetitus tendit ad suum finem, sive in bonum amatum. Amor sic generalissime sumptus comprehendit quamlibet inclinationem vel tendentiam in bonum, & sic amor est triplex: *Naturalis*, qui est inclinatio naturae rei indita ab auctore naturae Deo, qua ad sibi convenientia potest tendere, & moveri, aut in habitis quiescere, aut corrumpere attentanti resistere, ut in *lapide*, *igne*, *aqua* &c. *Animalis* amor est sensitivi appetitus passio, qua sibi complacet in bono per sensum apprehenso, communis hominibus & brutis. *Amor rationalis* vel *intellectivus* est ille affectus, quo voluntas sibi complacet in Bono per intellectum apprehenso. Hoc igitur *amore rationali* debemus amare, & nos super amorem attente reflectere, qualiter & secundum quam mensuram aut regulam obiectum illud amemus, quod propter suam aeternam rationem bonitatis, non alio nisi aeterno dignum est amore; & facile deprehendemus non aliam regulam & rationem amandi praeter obiectivam Bonitatem Boni qua Bonum, esse possibilem, ita ut nec aliter possibile sit ullam intellectualem naturam *rationabiliter & infallibiliter amare quodcunque obiectum bene*. Audiamus S. Augustinum. Hic lib. de vera Religione docet: *Non diceremus aliud alio melius, cum vere iudicamus, nisi esset impressa notio Ipsius Boni, secundum quam & probaremus aliquid, & aliud alteri praeponeremus. Deum ergo si quaeris*, inquit in eodem lib. S. Doctor, *noli foras exire*, * *in te ipsum redi*, *in*

* *Una filosofia* (alloquitur Ganganelli in sua epist. Comitem Algarotti) *di attrazione dev'essere in modo particolare la sua, per quella ragione d'aver ella un carattere dolce, amabile, che attrae l'animo di tutti; ma tra tanti vantaggi vorrei aver anche quello d'esser un po'meno Neutoniano, e più Cristiano. Noi non siamo stati creati per esser discepoli nè di Aristotile, nè di Neuton. L'anima nostra è destinata a cose più grandi, e quanto più la medesima nella di lei persona si trova sublime, tanto più ella deve alzarsi verso la sorgente. Ella può dir quanto vuole, che questo è il fare d'ogni Religioso di voler continuamente predicare, ed io le risponderò sempre che è il fare d'un filosofo d'applicarsi*

interiore homine habitat veritas: *illuc ergo tende*, *unde ipsum lumen rationis accenditur*. Quid clarius, quid salubrius?

CXLI Quapropter hic maxime notandum est, omnia ea, quae in hoc tractatu hactenus de obiectiva ratione, & de Ente qua Ens, in ordine ad intelligentiam rerum tradita sunt, *proportionaliter* applicanda esse rationi obiectivae Bonitatis, seu Bono qua Bonum, *proportionaliter* in ordine ad volendum & amandum, ita ut, sicut iam dictum est, Ens qua Ens, seu ratio obiectiva veritatis in intellectu nostro *causet scientiam*, *Bonum qua Bonum*, seu ratio obiectiva Bonitatis in voluntate nostra *causet* eodem proportionali modo *amorem*, quem non satis aliquis exprimit dicendo per orationem indicativam: *Amare Deum est bonum*; sed melius per orationem imperativam: *amato Deum*; haec enim oratio, non vero prior, significat eum motum, * quem secundum nudam meam essentiam passive excipio,

---

a sapere donde egli vien:, e dove egli va. Tutti abbiamo un primo principio, ed ultimo fine; e sì l'uno che l'altro non può esser che Dio... Il Cristianesimo è la sostanza di tutte quelle verità che l' uomo deve cercare. Ma egli vuol piuttosto pascersi d'errori, come appunto quei rettili che amano di ristorarsi nel fango delle paludi. Si va sovente a cercar lontano quel che si potrebbe trovare in se stesso, se si volesse bene entrarvi dentro, la qual cosa appunto fece sì che il grande Agostino, dopo d'aver scorso tutti quanti gli enti possibili, per vedere se in essi si trovava il suo Dio, ritornò al suo proprio cuore, e determinò che quivi era dov'egli esisteva più che altrove: & redii ad me.

Philosophus, qui a *Primo* rerum omnium *Principio* per ignorantiam deviat, & ab *ultimo fine* per malitiam aberrat, edicito: quantam huiusmodi per invia, & devia vagabundus genuinam rerum scientiam, quae *in primum principium*, & *finem ultimum*, ceu in suum *infallibile criterium* necessario resolvi debet, in sua mente possidet? Quid enim est sapienter vivere, veraciterque sapere, nisi & se ipsum, & res universas de suo primo principio ad ultimum finem recte intelligendo deducere, & vicissim a suo ultimo fine ad primum principium bene vivendo perducere?... & propter id ipsum ad Imaginem, & Similitudinem Dei Immortalis factus est omnis homo.

* Eadem lux, quae *illuminat omnem hominem*, pariter omnem *illuminando inflammat*; utpote idem sol lucet, & ardet. Verum sicut Solis Intelligentiae, quos lucis suae diffundit, radios ex propria culpa tenebrae non comprehendunt; ita & eiusdem Divini Solis ardentes flammas, ut eorundem corda igne amoris accendant, mortalium plurimi obcaecati, carnisque voluptatibus praeoccupati, nequaquam ad sua interiora admittunt. Unde & de his, quod Sap. XVI legitur, apte intelligitur, *Nix autem, & glacies sustinebant vim ignis: & non tabescebant*. Hoc ipso singuli illorum magis miseri, quo diutius in medio ignis permanent tepidi, & coalescunt frigidi. At vel ideo Sol Intelligentiae, Christus Dominus, Deus noster, oritur ex alto, ut illos, qui in tenebris ignorantiae sedent, veritatis suae luce illuminet, sedentesque in frigore nivis humanae miseriae, & malitiae suo amore eousque inflammet, donec frigida eorum corda ceu nix liquefiant, atque in amorem spirantes lachrymas non raro defluant. Hinc & de istis, quod de D. Magdalena poëta canit.

Nix ego, Sol Christus, radiorum ardore liquesco,
An mirum, ex oculis si fluit unda meis.

active emanatum, aeternaliter, & incommutabiliter a luce mentium, sive a Bono qua Bonum, quod in se est essentialis, & aeternus amor Bonitatis, quae sua suavissima praemotione cor nostrum impellit, & excitat dulci sapore mentali ad amorem amoris aeterni, subsistentis, atque Beati. Cuius amabilissimae veritatis eadem est ratio fundamentalis, quae argumentum est huius totius operis. Quia enim anima rationalis, seu *Imago Dei Immortalis* ad expressionem *rationis aeternae* est facta. Ideo non minus ad *expressionem aeternae Bonitatis*, quam *aeternae Veritatis* creatam novimus, ut genuina Imago esset sui auctoris, qui aequae *summum Bonum*, ac *summum Verum*, vel ideo seu *infinita Veritas* a cunctis agnoscitur, ut seu *Bonitas Immensa* ab universis super omnia diligatur.

Bonitas cuiuscunque rei est conformitas Entis creati cum ideis, & rationibus aeternae Bonitatis, quae sunt in voluntate Dei.

CXLII Quamvis ab aeterno Boni qua Bonum dictamine, & praemotione iubemur non Deum tantum, sed etiam Patrem & Matrem, & omne id, quod Deus condidit, amare amore rationali; verumtamen non ideo plures sunt Bonitates aeternae, aut plures essentiales amores. Sicut enim ratio obiectiva Entis est una & unica, a qua aeternaliter emanant omnium Entium possibilium rationes, quae omnes in unicam incidunt, neque multiplicantur, nisi secundum respectum ad plura entia, qua possibilia; sic unica pariter est Bonitas aeterna, unicus amor essentialis, qui sese extendit ad amandum singula entia secundum mensuram Entitatis seu Bonitatis, quam participant, ita ut sit unica essentialis, aeterna, incommutabilis ratio, cur singula amari debeant, cur unum Ens altero impensius amandum sit. Ipsa vero haec Bonitas aeterna, seu ipse amor essentialis aeternae Bonitatis amari debet non ob superiorem Bonitatem, quam participat, sed ex se ipso est vitalis, dulcis, amabilis, ac infinite Beatus Deus ter Optimus Maximus.

CXLIII Constat igitur, quod *Bonitas rerum transcendentalis sit conformitas cum voluntate Divina.* Intantum enim quodlibet ens est Bonum transcendentaliter, in quantum est ens; atqui omne ens est ens per participationem Divinae Entitatis: ergo etiam omne ens est bonum per participationem Divinae Bonitatis, & hoc non causaliter tantum, sed etiam formaliter; nam omnis participatio est assimilatio, & omnis assimilatio est conformitas; atqui ipsa rei participantis entitas est ipsa participatio, & consequenter assimilatio, & conformitas cum Entitate Divina formalis: ergo etiam bonitas entis participantis est assimilatio, conformitas, & participatio formalis Bonitatis, sive voluntatis Divinae. Porro entis assimilatio, participatio, & conformitas cum Ente Divino est ipsa relatio transcendentalis entis creati ad Entitatem Divinam:

relatio autem transcendentalis entis est ipsa formalis entitas entis creati, seu entis ab alio: ergo rei participantis Entitas, Bonitas, Veritas est ipsa participatio, assimilatio, & conformitas formalis: ergo Bonitas formalis entis, sicut & Veritas formalis est conformitas entis subiectivi & creti cum divina voluntate; sive ut clarissime loquar, & uniformiter: *Bonitas rei transcendentalis est conformitas entis subiectivi cum ideis, & rationibus aeternae Bonitatis in voluntate Dei*; sicut *veritas rei transcendentalis est conformitas Entis subiectivi, seu creati, cum ideis & rationibus aeternae veritatis in mente & intellectu Dei.* Etenim ideo ens est *absolute verum*, quia per se habet ens ordinem ad intellectum divinum, a quo dependet secundum *suum esse*: ergo etiam ens est *absolute bonum*, quia per se habet ens ordinem ad voluntatem Dei, a qua maxime dependet secundum suum *esse*: quia scriptum est: Quaecunque *Deus voluit*, *fecit*, secundum quod voluntas Dei, sicut & intellectus Dei est causa rerum: *Universas enim creaturas suas*, inquit S. Augustinus *, *& spirituales & corporales, non quia sunt, novit; sed ideo sunt, quia novit.* **

* *S. August. tom. VIII lib. XV de Trinit. c. XIII*

** Dum contraria iuxta se posita magis elucescunt, exposita *Bonitatis* Ratione *de malo* opposito quidpiam commemorasse iuvat. *Malum* non est aliquid exsistens, vel natura aliqua, ut cum Manichaeis, & Priscillianistis errantes putabant Pythagorici, sed *ipsa absentia, & privatio Boni malum est.* Quia autem malum non est per se cognoscibile, eoquod de *ratione mali* sit *privatio boni*; unde nonnisi per bonum definiri potest, aut cognosci (*n.* XLIV *) unum enim oppositorium cognoscitur per alterum, sicut per *lucem tenebrae*. Igitur ex ipsa *Ratione Boni*, quid *malum* sit, oportet accipere. Ratio autem *Boni* consistit in hoc *quod aliquid est appetibile*, & ideo secundum Philosophum *Bonum est, quod omnia appetunt*: unumquodque autem est appetibile, secundum quod est perfectum; omnia enim suam perfectionem appetunt, quae maior, aut minor est, secundum quod unumquodque de Ente perfectissimo, Optimo, Maximo magis, aut minus participat (*n.* LVII). Igitur cum omnis natura appetat suum *esse*, & suam *perfectionem*, necesse est dicere, quod *esse*, & *perfectio* cuiuscunque naturae *Rationem* habeat *bonitatis*, unde non potest esse, quod *malum* significet quoddam *esse*, aut quandam *formam*, seu *naturam*; sed quia *ens*, inquantum *ens*, est *bonum*, intantum *malum* nec bonum, neque ens, seu exsistens est: ideo *mali* nomine quaedam privatio & absentia *boni* significatur. Malitia, quae opponitur bonitati essentiali entis, quae est ipsa entitas rei, tollit bonitatem, seu ipsam entitatem rei, & sic malitia est *pura negatio*; cum enim nullum habeat subiectum, quia totum negat, nequit se habere per modum *privationis*; quae *est negatio in subiecto*, & quidem non in subiecto quomodocunque, sed in *subiecto apto, & nato*: ita ut perfectio, & bonitas negata sit illi subiecto *debita*, alioquin tale subiectum non diceretur *malum*, neque illa *negatio* boni *malitia*; non enim ideo *lignum* dicitur malum, quia non habet bonitatem *hominis*, nec *homo* malus, quia non habet bonitatem *angeli*; sed ens aliquod tunc dicitur *malum*, quando non habet *bonitatem debitam*. Ex his colliges in ordine ad doctrinae Magisterii interni conformitatem, idem proportionaliter, &

Omni rationabiliter consilianti, iudicanti, ac desideranti necessario impressa est notitia summi Boni.

CXLIV Cum praesentes paginae non proprio, sed sanctorum Doctorum plerumque glorientur documento, ad praedictorum confirmationem adiungimus eminentissimam S. Bonaventurae * Doctoris Seraphici auctoritatem. Operatio *virtutis electivae*, pergit in citato opusculo, attenditur in *consilio*, *iudicio*, & *desiderio*. *Consilium* autem est in inquirendo, quid sit melius, hoc an illud: sed melius non dicitur, nisi per accessum ad optimum; accessus autem est secundum maiorem assimilationem. Nullus igitur scit, utrum hoc sit illo melius, nisi sciat illud optimo magis assimilari; non enim scio hunc similem esse Petro, nisi sciam, vel cognoscam Petrum: *omni igitur consilianti necessario est impressa notitia summi Boni. Iudicium* autem certum de consiliabilibus est per aliquam legem; nullus autem certitudinaliter iudicat per legem, nisi certus sit, quod illa lex recta sit, & quod ipsam iudicare non debet; sed mens nostra iudicat de seipsa. Cum igitur non possit iudicare de lege, per quam iudicat, lex illa superior est mente nostra, & per hanc iudicat, secundum quod sibi impressa est. Nihil autem est superius mente humana, nisi solus ille, qui fecit eam: *igitur in iudicando deliberativa nostra virtus pertingit ad divinas leges, si plena resolutione dissolvat. Desiderium* autem principaliter est ipsius, quod maxime ipsum movet; maxime autem movet, quod maxime amatur; maxime autem amatur esse beatum: Beatum autem esse non habetur nisi per optimum & finem ultimum; nihil autem appetit humanum desiderium, nisi summum Bonum, vel quod est ad illud, vel quod habet aliquam effigiem illius. *Tanta est vis summi Boni, ut nihil nisi per illius desiderium a creatura possit amari*, quae tunc fallitur, & errat, cum effigiem & simulacrum pro veritate acceptat. Vide ergo, quomodo anima Deo est propinqua, & quomodo memoria in aeter-

eodem modo, ac ratione sicut *de falsitate*, ita & *de malitia* circa disformitatem cum Ideis, & Rationibus aeternis in Mente Divina exsistentibus esse discurrendum; propterea *sicut falsitas est defectus veritatis, sive disformitas entis cum Idaeis, & aeternis Rationibus in Divino Intellectu exsistentibus*: ita similiter *malum seu malitia est defectus bonitatis, seu disformitas entis cum Ideis, & Rationibus in Divina voluntate exsistentibus*. In Intellectu Divino sunt Rationes, & ideae aeternae Entitatis, & Veritatis, in Voluntate autem Divina exsistunt Rationes, & ideae aeternae Entitatis, & Bonitatis (*n.* CXXXIX). Inquantum enim unumquodque deficit ab Idea, & Ratione debitae sibi bonitatis, & perfectionis, *in tantum in ordine ad voluntatem divinam dicitur malum*, & inquantum deficit ab Idea & Ratione aeternae veritatis, & entitatis, *in ordine ad Intellectum Divinum dicitur falsum*, ideo autem hoc, quia *ens sub ratione entis* non minus fundat *verum*, quam *bonum*, & similiter *non ens*, seu *privatio entis* non minus fundat *falsum*, quam *malum*, hoc in ordine ad voluntatem, illud in ordine ad intellectum.

* *S. Bonav. c. III Itiner. mentis in Deum.*

nitatem (vide supra n. CXXXI.) intelligentia in veritatem (*lege n.* LIII) electiva potentia ducit in bonitatem summam secundum operationes suas. Et ideo mens nostra, concludit Doctor Seraphicus citatum caput tertium, tantis splendoribus irradiata & superfusa, nisi sit caeca, manuduci potest per se ipsam ad contemplandam illam lucem aeternam. Huius autem lucis irradiatio, & consideratio sapientes suspendit in admirationem, & e contrario insipientes, qui non credunt, ut intelligant, ducit in perturbationem, ut impleatur illud propheticum *: *illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis, turbati sunt omnes insipientes corde*: ita S. Doctor Bonaventura. Accedite igitur ad Solem intelligentiae, & illuminamini, & facies vestrae non confundentur etsi forte tanto lucis splendore suffundantur, quantum sufferre vix poterunt; si enim sol corporeus oculos nostros adeo penetranter irradiat, ut eorundem aciem veluti in excessum ponat, de Divini Solis splendore, quo mentis nostrae visum illuminando inflammat, sentiendum quid restat? Plura de hoc, & rariora lege supra num. XLVII. & seqq. Interim praesenti saeculo merit condolendum, quod illud D. Augstini continuo videatur impletum: *Erubescere debet humana*: (tua, mea, &c.) *pigritia, quia plus paratus est Deus nobis dare, quam nos a Deo accipere* . . . .

Quid est vita Rationalis?

CXLV Respondet antiquus Philosophus Aristoteles **: *Restat, ut mens sola extrinsecus adveniat, eaque Divina sit.* Animae Rationalis notitia ob supremam sui obiecti prae aliis Creaturis omnibus (Angelos excipe) praestantiam tanto ceteris disciplinis intervallo praecellit, quanto propius ad ipsiusmet Creatoris, ad cuius imaginem facta est, secundum tractatus istius frontispicium, accedit participium. Si autem mens humana *prope Divinum quid*, vita rationalis qua talis quid erit? Consulo, quos ad manum habeo, plures Philosophos; ast omnes ad quaestionem hanc parum, aut quasi nihil conducentes reperio. Secundum eclecticos proprium cogitantis spiritus agere est *cogitare*, & *intelligere*; idipsum est humanarum animarum *vivere*, atque vivendi exercitium (vitam hic rationalem spirituum propriam intellige). Verum id dicitur tam vulgariter, quam communiter. Si famosi Ioannis Lockii, cuius nomen in hodierna Republica Litteraria tam celebre est, ut actum ageret, qui amplioribus verborum encomiis illud commendaret, sex libros, quos de humano intellectu idiomate Anglicano & ipse Anglus conscripsit, a capite ad calcem perlustro, vix aliud *de ratione*, aut *rationali vita* praeter haec pauca deprehendo: ' Intelle- ' ctus, ait, *oculorum instar*, in causa ' est, cur reliqua omnia intueamur,

* *Psal.* LXX. ** *Arist. lib. II de gener. animal. c. III.*

' & percipiamus, par est, ut Deum ' auctorem naturae nostrae sempiternis laudibus extollamus *ob intelligentiae particulam istam*, qua ' nos animantibus reliquis praestare ' voluit... felicitati hominum in eo ' satis est prospectum, quod *lumine* ' *abunde claro* sint praediti, quo in ' Summi Creatoris notitiam duci, & ' officiorum, quibus ut fungantur, ' sunt obstricti, satis admoneri possunt. Frustraneum erit ignavo & ' petulanti servo, cui ad *candelae* ' *lumen* pensum erat conficiendum, ' si ea uti excusatione voluerit, quod ' sibi *radiis solis* haud affulserint. Eadem est ratio, si id ad nos applicaverimus, dum negligimus nobis ' inservire *eo lumine*, *quod Deus nobis indidit. Quae intra nos accensa* ' *est candela*, *sat luminis ad omnes* ' *vitae usus mentibus nostris praefert*... ' Cum ratio (si modo hisce hominibus fides habenda sit) nihil aliud ' sit, quam facultas veritates incognitas ex principiis, sive propositionibus cognitis inferendi., En quomodo ex aliena mente de *ratione*, quid de rationali vita aut sciat, aut sentiat ille Lockius, qui ad finem vitae sumpta pro more Anglicano coena, ministro officio suo functo dixisse fertur: *Quod perfectam charitatem erga omnes homines, & unionem sinceram cum Ecclesia Iesu Christi, quocumque etiam nomine appelletur, foveat*; quae aut indifferentissimum, aut Catholicismum aequivoce indigitant. Patet autem ex suis dictis, quod cum regio Psalte laudando professus sit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* *. Quid ergo est vita Rationalis?

CXLVI Quid Ratio sit, legisti hic num. XII quid autem vita rationalis qua talis sit, an omnes Philosophi aut ignorant, aut nescire se simulant? ex praedictis igitur attenti responsionem ceu legitimam conclusionem benevoli audiant: *Vita rationalis qua talis est imago vitae Divinae*, idest, vita ad expressionem vitae Divinae facta. In tantum enim aliquid est imago alterius, in quantum est ad expressionem alterius rei factum, secundum Doctrinam S. Thomae. Ut autem adhuc profundius penetres, quid entis tua anima, & huius vita rationalis sit, te ad verba P. Valeriani Magni ** supra laudati attentum postulo. Lux mentium, de qua plurima in isto opere sunt pertractata, secundum suam realem entitatem non potest esse tuae intellectionis terminus, tibi immanens: est enim intellectio motus, qui immanet intelligenti; sed intelligens lucem mentium, sive Rationem obiectivam, necessario debet esse aliquo modo lux mentium, ut eam intelligat, intelligere enim est *esse rem intellectam*, iuxta *n.* XXVI. Cum autem impossibile sit animam rationalem esse ipsam lucem mentium, sicut impossibile est oculos esse lucem solis, non potest Lucem mentium, seu Rationem obiectivam in-

* *Psal. IV* ** *P. Valerianus Magnus de luce ment. c. XII*

telligere, nisi evaserit in viventem eius imaginem, & secundum hoc definitur *Intellectio vitalis imago, ac viva repraesentatio illius, quod cognoscitur.* Hic autem maxime observandum, quod animae praeexistenti nulla superproducatur imago, quae animae referat Lucem mentium, seu Rationem obiectivam: imo experiri quis potest mentaliter, quod intellectio, qua intelligit aliquis lucem mentium, non sit animae accessoria, sed naturalis, & essentialis: intellige eam intellectionem, quae non fertur *directe* in lucem mentium, ut in obiectum intellectum, sed qua quodque intelligens intelligit reliqua omnia (*Vide hic num.* LXII). Dic, si tibi placet, adhuc clarius pro responsione ad quaestionem: *Quid est vita rationalis? est ratio vivens*; sive *est vitalis ratio Rationis aeternae*, seu est *vivens expressio, repraesentatio Rationis aeternae.* Expressio autem ista fit simplici perceptione, infallibili enunciatione, & immutabili illatione omnium Rationum aeternarum, quae in Deo una sunt indivisibilis *Ratio aeterna*, & *Vita* perpetua infinite perfecta. Quapropter & tua *Ratio Immortalis est Vita*, quod mox infra n. CXXXXVIII. manifeste patebit. Interim quid in te vivens Ratio sit, in qua ceu in radice rerum omnium *rationes* continentur attentius perpendas. Quod ut facilius praestare possis, ex triplici operatione vitali, qua vivens ratio tua operatur, nimirum ex simplici perceptione, ex infallibili Iudicio, ac ex immutabili illatione, quanta res miranda rationalis sit vita, seu vitam arboris, aut arborem vitae ex sua vitali actione & fructu cognoscere non praetermittas. Experimentali notitia, quam ex ista reflexione hauries; quid *Spiritus* in sua essentia & conditione sit, suaviter degustabis, eorumque fatuitatem, qui Spiritum negant, animamque mortalem putant, plene perspectam habebis (*n.* XCII).

Anima nostra Rationalis est vera species seu imago repraesentativa Lucis mentium.

CXLVII Ut autem omnem umbram amoveas, quae menti tuae ceu nubes sereno caelo obducitur, scito te hallucinari in intellectione plurimorum entium, perinde ac hallucinaris in contemplatione lucis mentium. Cogita animam tuam, & experieris te exigere a sensibilium imaginibus, quas habes apud te, eas, quibus repraesentes, quid rei, quidque entitatis sit anima tua: neque vales, quantumcunque in contrarium coneris, desinere *ab imaginaria conceptione phantasmatum*, quae repraesentant tibi subtilissimum corpus loco motum, & nunquam spiritum viventem intellectualiter, nec tamen ob hoc imaginationis delirium, tu mens, duceris in errorem, sed illum in luce mentium corrigis. Hoc ipsum fac, cum intuitus lucem mentium, seu Rationem aeternam, quae secundum dicta n. XIII menti tuae obiicitur, non solum imaginatio tua eam nititur concipere, velut sit subtilissima moles toto caelo extensa, & per omnia retro

tempora ducans, sed & cum conaris intelligere dicendo seu percipiendo illam, iudicando, & ratiocinando de illa. Quamprimum enim hoc attentas, substituis idolum repraesentans non lucem mentium seu rationem obiectivam, sed tenebras illas, quae lucem illam non comprehenderunt. Vide dicta *num.* CXV. Nihil profecto importunius *se medium* inter animam, hancque lucem sistit, quam eiusmodi concepta species, velut ea sit repraesentativa lucis mentium; *cuiusmodi tamen non est ulla vera, praeter individuam animam tuam rationalem.* Natura enim intellectiva est unica naturalis species intelligibilis, nata referre sibi ipsi Deum tum, cum reflexa super suum activum intelligere, & velle, cernit sine illatione, imo & sine imagine se esse actum subsistentem, ac viventem, stantem apud se, pro Deo vivo & vero, quem refert, tamquam quae sit eius imago, & similitudo, non sibi impressa aut superproducta in se, sed subsistens, & cognoscens per id, quod est, & per rationem, quam repraesentat, illorum entium naturam, quorum aliunde rudem acquisierit notitiam. Vix sunt ex millenis, qui illi falsae imagini, quam nostra imaginatio lepide suggerit, veram ac intelligibilem lucis mentium speciem substituunt, qualis est cuiuslibet intellectus creati nuda, ipsissimaque natura, *sic iugiter a Deo manans per meram creationem, ut species colorati producitur a corpore colorato in videntis pupillam.* Quapropter vita rationalis nihil aliud est, quam quod anima nostra vivat ex illa aeterna & immutabili luce ac ratione*, quae est lex essendi, lux intelligendi, & regula volendi, ac consequenter *vita mentium.* Profecto tam rarum, quam nobile genus vitae!... Quod ut intimius penetrare, digniusque aestimare valeamus,

Rationalis vita animae nostrae ad vivum delineatur.

CXLVIII Recolamus, quae paullo ante non sine ingenti admiratione percepimus: *Sicut species colorati producitur a Corpore colorato in videntis pupillam, ita nuda, ipsissimaque creati intellectus nostri, seu animae nostrae natura per meram creationem a Deo iugiter manat.* Suspiciamus nos, tu & ego, stellis maximis & innumeris adornatum firmamentum, totumque, quantum possumus, globum terraqueum: & ecce in primo oculorum nostrorum ictu *species, forma,* & *imago* stelliferi firmamenti, globique terraquei intra pupillam facili negotio producitur, qua mediante vicaria specie, & imagine caelum & terram apertis oculis extra nos, clausis vero oculis intra nos in nostra vivaci imaginatione aspicimus, quia dicta *species* intra oculos & imaginationem nostram producta *Vivens est similitudo, & imago, ac vera expressio, & repraesentatio caeli & terrae.* En quantae fortis & artis sit isthaec caeli terraeque *imago, forma* & *species*!... * Quae igitur, & quanta

* Si petis, ut haec mundi species maiori splendore te affulgeat, lege n. LXXX, & LXXXI.

(qui id legis, intelligas; non solum enim a minori ad maius, sed respective a minimo ad maximum, quia a finito ad infinitum producitur argumentum). Quae igitur, & quanta est *Immensi Dei optimi maximi Entis Veri & Boni species viva, forma & imago vera*, quae est ipsa anima nostra ab omnipotente virtute ad speciem & imaginem Dei Immortalis creata?... Edicito: quid, & quantum est in sua entitate, in sua veritate, & bonitate totius spectabilis huius mundi, caeli, & terrae figura, & gloria, quae pariter veluti quaedam *species* Divinae *Entitatis*, *Veritatis*, & *Bonitatis* continua conservatione procreatur, si cum Deo, qui est *ipsissimum Verum, & Bonum Infinitum*, sicut, & *ipsum Pulchrum Immensum*, in comparationem exponitur?.. Quid, & quantum, nisi umbra modica, & inane nihil?... Cum igitur anima nostra Infiniti istius Veri & Boni, ac Pulchri Immensi vivens sit *species*, *imago*, ac *repraesentatio* in se subsistens,(*n.* LXII)quae sine intermissione, veluti radius a sole, per meram creationem a Deo emanat, (*n.* CXXXV) *rationalis vita* istius excellentis *speciei* & *verae imaginis* Dei Immortalis, animae nostrae quae, & quanta est?...

CXLIX Arcanum hoc philosophicum, de quo scholae altum tenent silentium, ut ad tuum gustum & beneplacitum, ceu sigillum apertum suspicias, paullo attentius supra ea, quae dicta sunt, tuae mentis aspectum, qui ratio tua est, instanter reflectas. Nosti, quia supra legisti, quatenus anima rationalis ex illa aeterna, & *Immensa Vita* vivit, quae ex sua infinita perfecta Entitate, & vivacitate est immutabilis Lex, vivens Ratio, & Principium essentiae, vitae, ac entitatis rerum omnium, quae modo sunt, aut iam fuerunt, aut deinceps erunt, aut in infinitum ab omnipotente produci poterunt. Capis, quantus per has paucas litteras significetur *vitae spiritus*?... Sed ulterius: Tu nosti; quia iterato legisti, quod anima nostra ex illa aeterna, & *Immensa Vita* vivat, & tanquam viva & vera *species* in se subsistens per creationem continuo procedit, quae ex sua infinite perfecta Veritate, & Infallibilitate est Lux, vivens Ratio & Principium viventis scientiae, & vivae notitiae, ac veritatis rerum omnium, quae modo sunt, aut iam fuerunt, aut deinceps erunt, aut in infinitum ab omnipotente produci poterunt. Amodo autem vitam hanc admirabilem gustare incipis? At necdum satis... Tu nosti: quia attente legisti, quod anima rationalis ex illa aeterna, & *Immensa Vita* vivat, & tanquam viva & decora *species* in se subsistens per creationem sine intermissione progreditur, quae ex sua infinita perfecta Bonitate, & Pulchritudine est indefectibilis Regula, vivens Ratio, & Principium vivae pulchritudinis, & amoris, ac bonitatis rerum omnium, quae modo sunt, aut iam fuerunt, aut deinceps erunt, aut in infinitum ab omnipotente produci poterunt. Atque huius Verissimae, Beatissimae, ac vivacissimae vitae Divinae est species iugiter

ex illa emanans tantae similitudinis, ut eiusdem quoque imago, quae omni intuenti illam vitam Divinam clarissime tanquam absoluta *effigies* ad vivum repraesentet.

CL Noverit autem lector, quid *vivere*, & quid *vita* sit? Idipsum evidentius ut fiat, praesciendum triplex esse genus vitae: *vita vegetativa*, qua vivunt plantae: *vita sensitiva*, qua vivunt animalia: *vita intellectiva*, seu vita rationalis, qua homines vivunt & angeli. *Vivere* autem est ex innato sibi principio se ipsum movere. Sicut autem quid vivere vegetativum plantarum ex incremento, quidve vivere sensitivum ex operatione & perceptione sensitiva cognoscitur secundum dicta num. XXIV, XXV, XXVI, XXVII & XXVIII. Ita quoque ex operatione & cognitione intellectiva atque rationali, *quid vita rationalis sit*, evidenter colligitur, *operatio* autem *prima* animae rationalis *ex parte intellectus* est, aeternas rerum omnium rationes, quae tanquam *species* Rationis obiectivae in mente Dei per creationem in anima producuntur, simpliciter vivaciterque percipere. *Secunda intellectus operatio est*, aeternas rerum omnium rationes, quas simpliciter intra se percipit, infallibiliter diiudicare, quod infallibile diiudicare pariter ceu viva *species*, & imago infallibilis iudicii Divini in mente Dei per creationem producitur, & demum *tertia operatio ex parte intellectus* est, ex aeternis rerum omnium rationibus simpliciter perceptis, atque infallibiliter diiudicatis aliam aeternam, & infallibilem veritatem, & rationem immutabiliter inferre, quae immutabilis illatio ceu *species* ex immutabili illationis Ratione in mente Dei per creationem iugiter profertur. En, triplex vitae tuae rationalis coram te adstat operatio: I Rerum omnium viva perceptio: II Rerum omnium viva discretio: III Rerum omnium viva demonstratio. Ex triplici hac operatione perspecta, sponte sua sese tibi exhibet nobilissimum, quod ipsis Angelis commune, & ab omni alio ente distinctum est, rationalis vitae genus. Atque ut idipsum intimius percipias, non paucorum verborum litteram, quae occidit, sed Spiritum illorum, qui vivificat, deliberate expendas, & *quae, & quanta Rationalis animae tuae sit vita*, experimentali notitia simpliciter perceptam, infallibiliter diiudicatam, & immutabiliter demonstratam habebis. Dictum, & notum satis!

Anima rationalis, quia imago repraesentativa Rationis aeternae, est evidenter Immortalis.

CLI Sed inferes: ergo tu, Udalrice, es in corpore tuo actus aeternus & incommutabilis? Non sum: sum equidem subsistens, & vivens similitudo, & imago Rationis aeternae, & incommutabilis? repraesentativa Eius non sensibiliter, ut hoc a sensibus percipi possit, sed intelligibiliter, ut id manifesta ratione deprehendat, quicunque ratione utitur, utpote mentaliter discretiva omnium entium ab

invicem, ita ut ea pertingat ad distinctionem animae meae ab hoc spiritu, quem dixi rationem, quemque intelligibiliter mihi repraesento. Unde *Ratio*, quam consulo intellecturus quodcunque intelligibile, non est mihi superproducta, sed neque ego sum ipsissima *Ratio*, sed sum Rationis imago repraesentativa eius; non visibiliter per sensus, nec imaginarie, sed intelligibiliter. Iam vero interrogo & ego ex te unum & alterum: *An anima rationalis est evidenter immortalis?* Si materialista sis, cuius iudicio mens, & cogitatio non est aliquid a materia, ab atomis subtilissimis, & materiae modificationibus distinctum, aut alius Philosophus libertinus fueris, animam immortalem negas, sed enormiter erras! Accipe, quid aeterna Veritas sive Ratio tibi opponat: *Vivens Imago, ac vera repraesentatio Immortalitatis non potest esse, etiam per Dei omnipotentiam, qua talis mortalis; sed anima rationalis ex sua essentia est vivens imago, ac vera repraesentatio immortalitatis, scilicet Dei immortalis: ergo anima rationalis non potest esse, etiam per Dei omnipotentiam, qua talis mortalis*, si enim qua talis esset mortalis, non plus *repraesentaret Immortalitatem*, ac *mors repraesentat vitam*, & sic in essentia sua esset repraesentatio Immortalitatis, & simul non esset repraesentatio Immortalitatis, quia ex essentia sua esset mortalis & repraesentatio mortalitatis: si autem anima rationalis in sua essentia est vera repraesentatio Immortalitatis simul & mortalitatis, simul est immortalis & mortalis, adeoque evidenter immortalis, quia simul per te mortalis & immortalis vera repraesentatio mortalitatis, & Immortalitatis, & hoc quidem *ex* & *in sua essentia*. Quomodo id ipsum de spiritu humano, & angelico sit intelligendum videre poteris *n.* XCIV *.

CLII Fors autem negabis animam rationalem *ex* & *in sua essentia* esse viventem imaginem, ac veram Immortalitatis repraesentationem; sed contra hanc tuam desperabundam negationem clamat, & irrefragabiliter contrarium demonstrat praesens hoc opusculum totum, quod animam rationalem *aeternae Rationis* expressivam imaginem universo mundo ad spectaculum perhibet. Omne enim cognoscens Immortalitatem est repraesentans Immortalitatem, quia id est de essentia cognitionis; atqui anima rationalis ex & in essentia sua, quam per creationem a Deo obtinet, est cognoscens Immortalitatem seu aeternitatem, *quia Immortalitatem a mortalitate per rationem aeternam distinguit*: ergo est repraesentans Immortalitatem: atqui ubi datur repraesentans, ibi datur repraesentatio & imago: ergo anima rationalis ex & in essentia sua est imago Immortalitatis, consequenter non potest qua talis non esse immortalis. Confirmatur. Imago Dei anima rationalis ad expressionem rationis aeternae facta exprimit rationem aeternam I *Simplici perceptione*, II *Infallibili enunciatione*, III *Immutabili illatione*: ergo evidenter, & infallibiliter est immortalis, quia *operari sequitur ad*

esse, & ex operatione rei essentia, sicut ex fructu arbor, cognoscitur; *Ratio* autem *aeterna est Ratio immortalis*: ergo quia anima rationalis ex & in essentia sua *est repraesentatio rationis aeternae*, hoc ipso est etiam *repraesentatio rationis immortalis*. *Ratio aeterna*, quae est ipse Deus aeternus & immortalis, est *ratio obiectiva nostrae humanae rationis*, seu animae rationalis, quia huius prototypon & effigies, ad cuius expressionem, seu ad hoc, ut rationem *aeternam & immortalem* ad vivum & verum repraesentet, facta est, & vicissim nostra humana ratio seu anima rationalis est subiectiva ratio Rationis aeternae & immortalis, quia huius imago & expressio: ergo una est alterius *Ratio rationis*. Sed ratio immortalitatis est evidenter immortalis: ergo & ratio Rationis immortalis pariter est immortalis, alias non esset ratio Rationis immortalis. Ipsa Immortalitas in Deo est increata, in anima rationali autem est creata, quia anima ad imaginem immortalitatis, sive Dei immortalis est facta: ergo *anima rationalis est evidenter immortalis*. Quod secundum operis huius propositum erat primo demonstrandum. Mox expedietur & alterum.

Anima rationalis evidenter est Spiritualis.

CLIII Id denuo, si hodiernus Materialista, si Philosophus libertinus sis, pertinaciter negabis; sed paucis te expedio, dum antecedenti demonstrationi constanter insisto. Vivens imago ac vera repraesentatio *Spiritualitatis* non potest non esse *spiritualis* qua talis, & hoc tam evidenter, quam vivens *imago immortalitatis* non potest non esse *immortalis* qua talis; quia alias non ad vivum, non ad verum repraesentaret *Immortalitatem*, aut *Spiritualitatem*; maxime quia tota essentia animae est esse *viva & vera imago Rationis aeternae*, sub cuius sphaera continetur tam *ratio Spiritualitatis*, quam *Immortalitatis*, cum sit *imago Dei Spiritualis & Immortalis*, atque hoc non per *aliquod accidens*, sed ipsa anima in essentia sua tota est *vivens*, ac *subsistens* imago Dei *Spiritualis* & *Immortalis*, adeoque imago, idest, *expressio Spiritualitatis*, sicut *Immortalitatis*; & quidem *Immortalitatis* & *Spiritualitatis* est *formalis* imago; quia etsi sit imago *mortalitatis*, & *materialitatis*, quia etiam *mortalitas*, & *materialitas* habet in Deo seu in mente divina rationem sui aeternam seu ideam; hanc tamen non habet *formaliter*, sed *eminenter*, quia *omnia, quae facta sunt, in Ipso vita erant* *. Dignare, & in libro de *Miraculis seu de Mirabilibus fidei divinae*, n. VII, VIII & IX, revolve, videbis quomodo ipsa *mors* in Deo & in anima tua sit *vita*. Quemadmodum igitur in Deo, ad cuius effigiem anima nostra creata est, ipsa *mortalitas immortalis*, & ipsa *materialitas spiritualis* est, ita & in tua anima *ratio materialitatis spiritualis*,

* 1 *Ioan I.*

& *ratio mortalitatis immortalis* scilicet per rationem spiritualem, immortalem, & aeternam repraesentatur. Atque per hoc notandum multis contradictionibus, quae alias ab adversariis opponi possent, omnis aditus est interclusus. Confirmatur: Id, quod in se est capax formarum incommutabilium, ac rationum aeternarum *rerum omnium* volendo, intelligendo, & memorando, evidenter est spirituale; atqui anima rationalis volendo, intelligendo, & memorando est capax formarum incommutabilium, ac rationum aeternarum *rerum omnium*; cognoscit enim definitiones *rerum omnium*, si proponantur, quae sunt formae incommutabiles, & rationes aeternae, prout ex hoc toto tractatu evidenter constat: ergo anima rationalis est evidenter spiritualis. Aut quid aliud per *spiritum*, sive *ens spirituale* intelligitur, nisi quod volendo, intelligendo, & memorando praeter suam propriam formam aliarum quoque rerum formas vitaliter in se recipere, easdemque veraciter ad vivum repraesentare potest? ... Atqui anima rationalis &c ... Ergo! ... Vide *n.* XXVI, & seqq.

CLIV Ut autem adhucdum arctius constringantur *spiritualitatis* hostes, quaero ex illis: Quid iuxta vestram sectam est *Spiritus*? Respondebitis utique: *Spiritus aut materia est, aut nihil est*: aliud vix, quod reponatis, in vestris figmentis invenietis; sed quidquid dixeritis *negando spiritum*, qualis quantusque in sua essentia & operatione a parte rei est, semper tamen nolentes *spiritum* verum admittere debetis. Ponamus esse certum: *Spiritus est materia*: ergo & verum erit: *materia est spiritus*: *ergo ens spirituale est ens materiale, & esse materiale est esse spirituale*, sicque *corpus est spiritus*, & *spiritus est corpus*: ergo & anima vestra est corpus, & corpus vestrum est anima. Ne prolixior ultra terminos brevitatis progrediar, dicta de *materia cogitante* num. LXXIV attento studio revolvenda vobis significo; inevitabili enim necessitate materiam esse ens spirituale, adeoque animam, etsi per vos subtilissima materia sit, materialem, & simul spiritualem esse concedere vos compulsos adverteris. Unde iuxta vestram sectam subtilis materia, quae animam rationalem per vos constituit, evidenter est spiritualis. Faciles id concesseritis, at simul istam materiam *spiritualem*, quae per vos anima rationalis est, *mortalem* praetendetis, sed frustra: etsi enim Tertullianus, Iraeneus, & aliqui alii inter Patres animam humanam *subtilissimam* quamdam *materiam* ab omni terreno corpore *distinctam* existimarint; attamen magnum inter eorum Patrum, & recentiorum libertinorum sententiam intercedit discrimen: Patres illi non modo animam rationalem a *corpore separari* posse, & *separatam per se exsistere*, verum etiam in sua natura *immortalem* tenuere: optimi igitur Catholici, licet aliquando adeo solidi non fuerint metaphysici. E contrario vos, recentiores materialistae, animam hominis & *corpoream*, & *mortalem*, atque ut quodcunque aliud

corpus *solvendam* propugnare contenditis. Ex quo dilucide vobis constare debet, quod si vestrae praesumptioni non concederetur, sed solum permitteretur, animam rationalem esse materialem, & *subtilissimam materiam*, qua anima constituta foret, esse *spiritualem*; hoc inquam permisso, non concesso, ex superiori num. CLI & CLII, vos penitus convictos animam rationalem evidenter esse *immortalem* fateri necesse est. Iam vero ex hoc ipso

CLV Reassumo argumentum: *Anima rationalis est evidenter immortalis, ergo etiam est evidenter spiritualis.* Immortale est, quod semper vivit, & nunquam moritur, prout ex ipsa Incommutabili Ratione *Immortalitatis* tum *obiectivae*, tum *subiectivae* evidenter patet. *Quod* autem *nunquam moritur, & semper vivit, est vita perpetua*; etsi non simpliciter, sicut vita Dei, aeterna, saltem certo *aeviterna*, idest, in aeternum duratura, licet in tempore sit creata; sed *vita perpetua, & semper duratura est evidenter spiritualis*; *ergo anima rationalis, quia evidenter immortalis, est etiam evidenter spiritualis.* Quid negabis? *Vita immortalis* id ipsum est, quod *spiritus* dicitur: ergo ubi est vita perpetua, vita immortalis, ibi est verus spiritus, cuius operationes nimirum *intelligere*, & *velle* non nisi vita sunt. Sed ut tuis propriis verbis, ceu armis, adeo convincaris, ut ne halitum trahere in contrarium possis, argumentum ad hominem cape. Ideo tu, materialista, etiam contra tuam rationem, & intimam conscientiam nullum spiritum a materia distinctum admittis, quia hoc admisso Deum summum Spiritum, & tuorum delictorum omniscium Iudicem, animamque tuam *spiritualem*, & *immortalem esse* diutius negare non posses; unde Deum esse negas, & nullum spiritum, nihil spirituale esse affirmas, ac animam tuam subtiliorem materiae portionem fortuito casu sic combinatam, huiusque actus omnes, omnes *perceptiones*, omnes *enunciationes*, & omnes *argumentationes* eiusdem subtilioris materiae *modificationes*, *motus*, *figuras*, & *combinationes* esse iudicas, & vel ideo sicut animam tuam materialem *casu factam*, ita *casu solvendam* esse putas: sed omne iuxta te, materialista, *materiale* est evidenter *mortale*, & omne *mortale materiale*, quia totum *casu factum*, & totum *casu solvendum*; illud autem, quod est *immortale*, semperque vivit, & nunquam moritur, non est *mortale*, & consequenter nec *materiale*, quod casu combinatur, & casu solvitur: ergo anima rationalis, *quia est immortalis, non est mortalis, & consequenter nec materialis*, adeoque quia *immortalis* per te evidenter quoque est *spiritualis.* Ex quo constat, quod argumentum hoc reassumptum invincibiliter subsistat.

CLVI Quod si autem *spiritus* per vos materialistas idem ac *nihil est*; tunc *nihil est spiritus*, quia per vestrum responsum *spiritus est nihil.* Unde autem & ubi vos audistis, legistisve *spiritum esse nihil*, & *nihil esse spiritum*? ergo *ratio spiritus* est *ratio nihili*, & *ratio*

nihil eſt *ratio ſpiritus*. Quis unquam a ſeculo quaeſtioni propoſitae: *quid eſt nihil?* repoſuit: *nihil eſt Spiritus*. Quis unquam id in reſponſum dedit? & ſi datum ab ullo fuiſſet, an non ceu mentis inſanientis exploſum fuiſſet delirium? Quotieſcunque inquiritur: num detur *ſpiritus*, interrogatur per hoc: num detur *ratio*, *idea*, & *eſſentia* ſpiritus? ſeu adhuc clarius: an *ſit ratio*, *idea*, & *eſſentia Spiritus* in hac rerum univerſitate? Reſponde libertine, *an eſt in hac rerum univerſitate ratio*, *idea*, *eſſentia ſpiritus*, vel non eſt? per te non eſt: ſed *ob quam cauſam* non eſt ratio, idea, & eſſentia ſpiritus in iſta rerum univerſitate? Tota natura contra te inſurgit atteſtando: *Ratio*, *Idea*, *& Eſſentia Spiritus eſt velle*, *intelligere*, *memorare*; *atqui in hac rerum univerſitate evidenter datur velle*, *intelligere*, *memorare*, *nimirum in homine*: *ergo in hac rerum univerſitate evidenter datur Ratio*, *Idea*, *& Eſſentia Spiritus*. Maior eſt certa, minor evidens, concluſio legitima: ergo Spiritus nec *materia*, nec *nihil* eſt; ſed eſt Ratio, Idea, & Eſſentia, ſeu Ens, quod vult, intelligit, & memorat, ſive Ens conſtans voluntate, intellectu, & memoria. Ergo evidenter datur Spiritus: & quia anima rationalis evidenter vult, intelligit, memorat, evidenter Spiritus ſeu Spiritualis eſt. Demonſtratio haec uberiori argumento confirmatur. Imago Dei *Immortalis*, & *Spiritualis*, anima rationalis exprimit *Spiritualem & aeternam Rationem I Simplici perceptione*, II *Infallibili enunciatione*, & III *Immutabili illatione*. Ex hoc ſimpliciter intelligitur, infallibiliter iudicatur, & immutabiliter infertur: *Ergo anima rationalis eſt evidenter Spiritualis*, *ſicut evidenter immortalis*, *quia eſt Imago Dei Immortalis*, *& Spiritualis Vera*, *& expreſſio aeternae*, *& Spiritualis Rationis viva*... Et quid ultra petis?... Fors huius aſſerti, & argumenti ampliorem demonſtrationem poſtulas. Et ecce, totum hoc opus iſtius aſſerti, quo Imago Dei *Immortalis & Spiritualis* anima rationalis evidenter *Spiritualis* & evidenter *immortalis* exponitur, ineluctabile eſt argumentum. Tolle! Lege *!

* Lateranenſe Concilium ſub Iul. II, & Leone X celebratum omnes Philoſophos ſeſſ. VIII excitat, ut ad iſtam capitalem in Chriſtiana Religione veritatem de *immortalitate*, *& ſpiritualitate animae* demonſtrandam omnes ingenii vires adhibeant. Equidem id, quod ſuarum in hac re partium erat, ſtrenue adimplevit P. Franciſcus Jacquier ſupra commendatus; verum cum de animabus brutorum diſſerit, propemodum omnino defecit. Obiectio ipſi reſolvenda erat iſta: *quod cogitat eſt ſpirituale*. Iam a nobis ipſis, ait, haec propoſitio fuit fuſe demonſtrata, *ſ d brutorum animae cogitant* quod ex brutorum actionibus eſt manifeſtum: ita fidelitas canum, ſolertia in capiendis muribus felium, ars imitandi in ſimiis, ſenſum, & cogitationem in brutis demonſtrant, nec mechanice fieri poſſunt. *Animae autem brutorum pereunt*, ab omnibus paucis exceptis admittitur. Si vero anima bruti ſpiritualis, & immortalis eſt, quid agitur de innumeris illis tot animalculorum animabus immortalibus? *An* entia in mundo poſt corporis interitum fiunt inutilia? Et ſicut qui hominem occidit,

Utrum anima rationalis ſemper cogitet?

CLVII Quaeſtionem hanc potiſſimum movet Carteſius, qui animam rationalem, eo quod ſubſtantia cogitans ſit, ſemper cogitare defendit; idem cum Carteſio ſentit Leybnitius, & non pauci alii. Eclecticus Montier ad propoſitam quaeſtionem reſpondet *: *Dubium mihi eſt, & univerſis mortalibus eſſe debet, utrum anima ſemper cogitet, & aliquo modo ſe ſemper explicet, irradiet, illuminet.* En quam provide, & perſpicaciter *ab univerſis mortalibus*, ut de hac re dubitent, ceu *debitum* certum praetendat, veluti univerſos mortales, doctiſſimos quoſque dubios faceret haud abſimili motivo: ego de hac quaeſtione, *utrum anima rationalis ſemper cogitet?* dubito: ergo vos univerſi mecum dubitare *debetis*. Carteſiani profecto omnes, qui non pauci, & non parum docti ſunt, ſolemne hoc poſtulatum rident; haud enim futili argumento animam ſemper cogitare adſtruunt, dum ſua fundamenta in hoc compendium contrahunt: ubi datur ſemper agens, ibi datur ſemper actio, & agens ſemper agit: ergo quia anima rationalis eſt ſubſtantia cogitans, & ſubſtantia cogitans ſemper permanet, in anima ſemper datur cogitatio, & anima cogitans ſemper cogitat. Ita Carteſiani. ' Ceteri communiter Philoſophi, aſſerit ' praefatus eclecticus, in contrarium ' eo potiſſimum de capite, atque ratione ducuntur, quod nullum plane ' ſenſum, nullamque perennis no' ſtrae cogitationis memoriam habea-

---

cuius anima eſt immortalis, ita & qui bruta, quorum animae immortales ſunt, interficeret, merito crudelitatis nota ſignaretur. Iam pro huius dubii reſolutione reſpondet citatus *atomiſmi patronus* allatis pluribus aliorum reſponſis: nos vero in hac tanta opinionum varietate, in hac rei ipſius obſcuritate dicimus, non ideo neganda eſſe, quae clara ſunt, eo quod obſcura quaedam evolvere, aut mente capere nequeamus; cum vero argumenta, quibus mentis humanae ſpiritualitatem, & immortalitatem comprobamus, valida certe ſint, atque perſpicua, obiectiones *ex ignota brutorum natura* deſumptae certa, & evidentia argumenta non labefactant. Igitur *his aliiſque id genus* plurimis *quaeſtionibus non alio reſpondemus modo, quam candida ignorantiae noſtrae confeſſione: fatemur ſcilicet hoc nobis eſſe per ſolam rationem incognitum; hic tantum pro anima noſtra pugnamus, ſed ratione ſola, neque omnibus difficultatibus ex incognita belluarum anima ſatisfacere poſſumus.* Ita nimis candide P. Jacquier. Sed cum bona venia vir eximie: qua arte tuum principium: *omne quod cogitat, eſt ſpirituale*, quo animae humanae *ſpiritualitatem te demonſtrare* putas, inconcuſſum, validumque ſubſiſtit, cum tamen adverſario, qui iſthac obiectione ceu tumultuario impetu illud ipſum immediate invadit, ne verbo quidem reſiſtere poſſis? *Capeſis, quantum atomiſmus cum materialiſmo ad deletionem omnis ſpiritus conſentiat.* Certo amplis cachinnis tuam hanc infirmitatem excipiunt materialiſtae, atheiſtae, atomiſtae: cuncti te rident convictum: tuae adeo ſiniſtrae condoleo ſorti. Quid in arena conſilii? *Rationem aeternam, & invincibilem, cuius anima rationalis, non vero anima bruti capax eſt, ſecundum quod in hoc tractatu demonſtratur, Duce Chriſto, oppone, & nec portae mundi, nec inferni adverſus te praevalebunt. Vide num.* LXXIV *

* *Metaph. part. II num.* DCXCIV

' mus. Internae illius intimae, & ' nunquam interruptae cogitationis, ' qua anima nostra in materno utero, ' inter dormiendum semper cogno-, scat, cogitet, nullum in nobis de-' prehendimus vestigium, memoriam, ' experimentum. Quanam igitur ra-' tione animam semper cogitare affir-' mabimus? Dein post pauca conclu-' dit: si omnia haec utriusque partis ' momenta perpendamus, liquido ap-' paret, neque a Cartesiano Philoso-' pho satis probari animam semper co-' gitare, neque etiam oppositum ab ' aliis evinci. Debilia sunt, ait, quae ' pro utraque parte adducuntur ar-' gumenta, & ad rem obscurissimam ' suadendum satis esse non possunt. ' Unum illa omnia efficacissima de-' monstrant, animam semper cogi-' tare, aut ipsamet esse cogitationem, ' dubium plane esse, nullaque ratione ' probari. Ita Eclecticus non sine nota ' pusilli animi.,,

CLVIII Quantum desuper animae nostrae rationalis iudicium? An igitur facile concessuram arbitremur, utrum ipsa semper cogitet, rem esse obscurissimam, quae nullam in partem per ullum Philosophorum argumentum decidi possit? Num iterato adimpletur *: *Vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt?* Oppone micanti soli speculum perlucidum; mox vides ex illo emicantem solis effigiem, & ceu alterum solem fulgentem, & illuminantem: an quaeris dubius: *utrum sol in speculo refulgens*, quamdiu sol empyreus incidit, & in illo se quasi depingit, *semper resplendeat*? Divinus intelligentiae Sol in mentis nostrae speculo lumen rationis, vultus sui splendorem, in primo mox instanti creationis accendit, dum creatrice sua potentia animam nostram ad vivam sui imaginem, & veram sui similitudinem facit, prout ex hoc integro tractatu manifeste constat, & insuper dubium tibi est, & *universis mortalibus esse debet*, utrum anima aliquo modo, ut hic supra scribis, se semper explicet, irradiet, illuminet, & semper cogitet? Animam nostram non pure *ex accidenti*, sed *essentialiter* esse Dei vivi imaginem tibi affluenter per totum tractatum praesertim numero LX, & LXI legisti demonstratum, ita ut tota anima nostra sit vivens, ac subsistens Imago, ac similitudo ipsius Solis intelligentiae, sive Dei viventis, & hoc ipsum est animae nostrae rationalis tota essentia, quidditas, & natura, secundum quod numero LXII dictum est. De essentia autem imaginis est, ut sit semper expressiva, & semper repraesentativa ad vivum, & verum illius, cuius est imago, ita ut tota imago tota sit expressio, & repraesentatio illius rei, aut personae, quam, vel de qua cogitat, ut supra n. XXVI dicitur: Ergo quia anima nostra ex sua essentia est *imago, expressio*, & *repraesentatio Dei*, & hoc *semper* & *immutabiliter*, utpote *essentialiter*, etiam *semper*, & *immutabiliter*, atque *essentiali-*

* *Ioan.* I *v.* IV.

ter est *viva*, & *vera cogitatio Dei*, adeoque anima a primo creationis suae instanti Deum semper cogitat, secundum quod ex hucusque positis fundamentis evidenter constat: ergo animam rationalem semper cogitare nec tibi, *nec universis mortalibus debet amplius esse dubium*, sed evidenter certum. Quomodo autem haec Dei perpetua cogitatio, & imago per peccatum tum originale, tum personale deformetur, ob propositam brevitatem explicare non expedit.

CLIX Ut autem periucunda isthaec veritas, qua anima a primo creationis suae instanti *Deum semper cogitare* asseritur, quia eiusdem essentia sicut viva, & vera *Dei imago*, ita & *cogitatio Dei* esse noscitur, uberiori explicatione clarescat, modica desuper reflexio non modica luce prodesse poterit. A primo constitutionis nostrae exordio *intelligentiae Sol* in qualibet mente humana lumen rationis tanta radiorum suorum infusione accendit, ut sicut sol materialis in speculo mundo, in quod incidit, alium veluti solem exprimit, ita *Sol Intelligentiae* in mentis nostrae speculo *alium veluti solem intelligentiae* ad suam imaginem, & similitudinem creando producit, atque per hoc ad *subsistentem Dei imaginem*, *Deique cogitationem perennem* facit. Totam solis materialis illuminationem, qua ultra quinque millia annorum universum hoc illustrat, nonnisi tenuem *Solis intelligentiae* umbram esse ex demonstratis hucusque abundanter noveris, unde in hac tenui umbra, quae tantum lucis suae splendorem versus oculorum tuorum pupillam vibrat, quantum sine laesione sustinere vix possunt, Immensam Dei, qui ceu Sol spiritualis lucem inhabitat inaccessibilem, irradiationem, qua mentem nostram ad imaginem & similitudinem suam ceu alterum solem spiritualem format, distincte observare poteris.

CLX Unicum, qui singulari favore intentioni nostrae affulget, Divini istius Solis radium attentius contemplari iuvat. Nonne *Deus est id ipsum, quo nihil maius cogitari, & nihil melius desiderari potest* *, *quia ipse solus est Ens perfectissimum, & Bonum*

* Ex aureo isthoc, quod perpetua infallibilitate, & ipsa aeternitate gaudet, principio, & aeternae Rationis, Veritatis, & immensae Bonitatis eloquio, veluti fluvius egreditur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, ingens Divinarum perfectionum, ceu aquarum viventium copia. Ex hoc enim principio: *Deus est, quo nihil maius cogitari, nihilque melius desiderari potest*, immutabili consequentia deducitur: *id omne, quidquid perfectius, & maius homo cogitare, meliusve desiderare potest, in sua perfectione, & Bonitate est Deus*; *alias humana cogitatio Deo esset maior, & Deus illa minor, quod vel cogitare nefas est.* Homo autem potest cogitare, & desiderare, quod *Deus sit Ens Perfectissimum, Ens Optimum, Maximum, in quo nullus bonitatis, & perfectionis reperitur defectus*: ergo idipsum est Deus. Homo potest cogitare, & desiderare, quod *Deus sit Aeternus, Immensus, Infinitus, quod suum Divinum esse non acceperit ab alio, nec a se ipso, nec a nihilo, sed quod Ipse sit suum esse*: ergo Deus est Aeternus, Immensus, Infinitus, & est suum esse, sicut & ipse attestatur: *Ego sum, Qui sum.*

Optimum, supra quod nec est, nec esse potest aliud maius, aut melius? Separa iam *litteram* istorum verborum, quae *occidit*, a *Spiritu*, seu *Ratione*, quae *vivificat*, & per litteram significatur (*n.* XCVI) & statim *duplicem Rationem* seu *Spiritum* reperies, *Rationem obiectivam*, quae est Deus, & *Rationem subiectivam*, quae est tuus spiritus ad imaginem, & similitudinem Spiritus Dei ideo factus, ut vivaciter, & veraciter exprimat per suam essentiam (*n.* LX) *Deum, quo nihil maius cogitari, & nihil melius desiderari potest; quia Ipse solus est Ens Perfectissimum, & Bonum Optimum, supra quod nec est, nec esse potest aliud maius, aut melius.* Ubi instanter nota: sicut Deus est *obiectum*, seu *obiectiva Ratio*, & *spiritus* dictorum verborum; ita Ratio tua, & anima, seu tuus Spiritus est *subiectiva Ratio*, & *Spiritus* eorumdem verborum: *Deus est, quo nihil maius potest cogitari &c.* Quia omnis *Intellectio, seu Ratio est actualis formalis Imago vitaliter repraesentativa obiecti cogniti, seu vitalis Imago, ac repraesentatio illius, quod cognoscitur* (*n.* XXX) Atqui haec ipsa tua verba *Deus est, quo nihil maius cogitari, & nihil melius desiderari potest, quia Ipse solus est Ens perfectissimum, & Bonum Optimum, supra quod nec est, nec esse, potest aliud maius, aut melius*, significant ipsissimam tuam *intellectionem*, & *rationem*, qua Deum concipis: Ergo haec tua de Deo *intellectio*, & *ratio*: *Deus est, quo nihil maius, aut melius &c.* est *actualis formalis Imago vitaliter repraesentativa Dei, quo nihil maius cogitari, & nihil melius desiderari potest, quia ipse solus est Ens perfectissimum, & Bonum Optimum, supra quod nec est, nec esse potest aliud maius, aut melius.* Ergone anima & *ratio* tua adeo excellens est, ut sit *Deus, quo nihil maius cogitari, & nihil melius desiderari potest &c.*? Ita, ne dubites, adeo excellens est, ut sit Deus, quo nihil maius &c. tua ratio, & anima; sed bene notes, id totum est, *subiective*, tanquam *subiectum*, non vero *obiective*, sive *obiectum*, quod solus Deus est; inquantum

Homo potest cogitare, & desiderare quod *Deus sit Summa Essentia per se subsistens, nullius egens ope, omnia ex nihilo creans, omnia moderando gubernans*: ergo talis est Deus. Homo potest cogitare, & desiderare, quod *Deus plura possit in infinitum cogitare, & facere, quam mens creata possit concipere*: ergo sic est in Deo, sicut in hominis est intellectu, alioquin intellectus hominis esset *maior*, & Deus illo *minor*. Homo potest cogitare, & desiderare, quod *Deus sit Infinitus Largitor, Omnipotens Creator, Sapientissimus Gubernator, Iustissimus Remunerator, Amorosissimus Pater, Supremus Dominus, Primum rerum omnium Principium, & ultimus Finis, in omni loco praesentissimus, adeo necessarius Deus, ut a nemine negari possit*: ergo id omne est Deus. Et quia Ter Optimus Maximus immensus Perfectionum est Oceanus, qui exhauriri nunquam potest, quo plus homo praedicto modo cogitando, desiderandove de perfectionum Divinarum, ceu de vena aquarum viventium maiorem copiam hauserit, eo abundantiorem semper in Deo hauriendam observabit... Incessanter igitur haurite, *amici, & bibite, & inebriamini charissimi!... Cant. V.*

subiectum speculum in solis imaginem formatur ab obiecto sole, in tantum tua, & mea *subiectiva ratio* formatur ab *obiectiva Ratione*, ceu *Sole intelligentiae*. Edicito! an non hic, quem mox suspeximus, Solis Intelligentiae radius undequaque stupendus? Ex unico hoc radio, quantum integrum Rationis naturale lumen manifestet Deum semper, veluti in meridiana luce conspicitur.

Utrum anima rationalis una altera in sua natura sit perfectior.

CLXI Animam rationalem esse quamdam *substantiam rationis participem, vivificando, ac regendo corpori accommodatam* supra *n.* XI intelleximus. Per hoc quod sit *substantia* convenit cum reliquis substantiis; per hoc autem quod *rationis sit particeps corpori accommodata*, differt ab aliis, convenit, & differt ab Angelis, utpote qui pariter substantiae rationis participes sunt, attamen corporibus accommodati non sunt. Singularem igitur speciem inter spiritus constituit anima rationalis. (*vide n.* XCIV *.) Hic quaeritur: num & anima ab anima, sicut secundum S. Thomam Angelus ab Angelo specie differat? & communissime respondetur negative; nam ubi una & aequalis naturae & entitatis est ratio, ibi & est una & aequalis ratio perfectionis naturalis, inter animas autem rationales omnes observatur una & aequalis ratio naturae & entitatis: ergo inter animas rationales omnes una & aequalis est ratio perfectionis naturalis. De perfectione accidentali & gratuita, quae fit per gratiam in diversis diverso gradu perfectionis, hic non est quaestio. Tota cuiuslibet animae rationalis ratio naturae & entitatis consistit in hoc, quod quaelibet *anima rationalis sit substantia rationis particeps, vivificando, ac regendo corpori accommodata*; atqui hoc idem est omnis, & quaelibet anima rationalis: omnis igitur, & cuiuslibet animae rationalis una & aequalis est ratio perfectionis naturalis. Confirmatur. In tantum natura animae rationalis est perfecta, in quantum a Deo Creatore suo est facta; anima autem rationalis est a Deo ad imaginem & similitudinem suam facta: in quantum igitur anima rationalis ad imaginem & similitudinem Dei est facta, in tantum natura animae rationalis est perfecta. Omnis autem anima rationalis aequaliter a Deo est ad suam imaginem & similitudinem facta: ergo omnis animae rationalis natura aequaliter est perfecta. Unde ad significandam specificae istius perfectionis aequalitatem dixit Omnipotens Creator: * *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; non vero dicit *homines* ad *imagines & similitudines nostras*. Imago Dei est in omnibus hominibus anima incorporea & immortalis, adnotat glossa, & ceu epilogum tertiae huius operis Parti addidisse iuvat, *formavit* enim *Dominus Deus*

* *Genes. I v. XXVI.*

hominem de limo terrae, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, & factus est homo in animam viventem. Spiraculum vitae vox hebraea animam significat: itaque corporis & animae origo longe diversa est: illud e limo formatum, haec a Deo ipso inspirata; corpus in terram, unde ortum est; animus *ad Deum redit, qui fecit illum.* Sic paucis verbis Scriptura nos docet, quod Philosophorum adeo exercuit ingenia, immortalitatem scilicet animorum; & quantum homo ceteris praestet animantibus, insinuat, quod Divino spiraculo animetur: hoc spiraculum, cum spirituale sit, idem est incorruptum. Unde animae rationalis explicationem perhibet illius auctor ipse Deus his verbis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: & praesit piscibus maris, & volatilibus caeli, & bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra.* Praesit sibi, praesit omnibus, & soli Deo subsit. Fiat! Fiat!



APPENDIX

INFALLIBILE VERITATIS FIDEI ET RATIONIS CRITERIUM

Quid ſit omnis Veritatis, & Bonitatis infallibile Criterium.

CLXII Nomine *Criterii* Veritatis, & Bonitatis *ultima illa Ratio* intelligitur, propter quam unicuique Veritati, & Bonitati ceu immobiles conſtanter adhaeremus, eadem enim dicti *Criterii Ratio* mentem noſtram ab omni dubio reddit *liberam*, in omni aſſenſu, vel diſſenſu facit *firmam*, atque de percepta veritate, & bonitate ſervat *ſecuram*. Id autem officii genus *Ratio Criterii* praeſtare non poſſet, niſi antecedenter in ſemetipſa eſſet *certiſſima*, quae vacillare non poteſt,... niſi in ſe eſſet *firmiſſima*, quae debilitari non poteſt,... niſi in ſe eſſet *ſecuriſſima*, quae falli non poteſt, adeoque in ſemetipſa *Ratio infallibilis, Ratio immobilis, Ratio aeterna & immutabilis*. Propterea quia Criterii Ratio intantum *ultima* eſt, ut nec angelus, nec homo, ulterius Rationem ſuper illam quaerendo, ut de rei cuiuſcunque veritate, & bonitate ſine omni errandi formidine perſuaſus ſit, procedere nec poſſit, nec debeat, imo nec velit; ideo *Rationem ultimi finis*, ut Criterium habeat, prorſus neceſſe eſt. Id ipſum manifeſte patet ex hoc, quia idem *Criterium Veritatis*, ut ſimul & *Bonitatis* Criterium, ſeu *ultima Ratio* ſit, neceſſario deſideratur, cum ſine hoc *Bonum verum* a *bono apparenti & falſo* diſcerni certitudinaliter nequaquam poſſit; plus autem malitiam nocere in voluntate, quam errorem in intellectu quis neſcit? Profecto ſi nullum *Bonitatis* exſtaret Criterium, inter *bonum* & *malum*, inter *peccatum & meritum* ſemper incerti viveremus & incauti. Cum igitur Criterium Veritatis, ac Bonitatis *Ultima ſit Ratio*, propter quam unicuique Veritati, & Bonitati adhaeremus, idem *Rationem ultimi finis* habere omnino compertum eſt.

CLXIII Cum autem Ratio Finis Ultimi ſit, quod propter ſe tantum appetatur, reliqua vero propter ip-

ſuum, criterium veritatis, & bonitatis quoque propter ſuam propriam veritatem, & bonitatem, reliqua vero quaecunque *vera* & *bona* propter veritatem, & bonitatem criterii *certo vera*, & *vera bona* a nobis cognoſci, & appeti intelligimus; ſi enim ultimus finis ad ulteriorem, & criterium veritatis, & bonitatis ad aliud, ſive anterius, ſive poſterius dirigeretur, nec finis, nec criterium *ultimum* foret, unde ſicut finis, ita criterium ultimum propter ſe quaeri, & attendi debet. Quod autem & ad finem, & ad criterium *cetera omnia vera* & *bona* referri debeant, conſtat primo ex eo, quod *primum* in unoquoque genere ſit cauſa ceterorum (*n.* LVII): ſed tam ultimus finis, quam criterium ultimum veritatis, & bonitatis eſt primum in intentione, quia appetitus rationalis per ſe tendit in *Univerſale Verum*, & *Univerſale Bonum* (vide *n.* CLXVI) ergo tam finis, quam criterium eſt cauſa omnium, quae intenduntur, & cognoſcuntur, ſeu *Prima*, & *Ultima Ratio certo cognoſcendi*, & *ſecure volendi omnia reliqua vera*, & *bona*. Secundo, conſtat ex hoc, quia tam appetitus rationalis, quam intellectus omnia refert ad id, in quo ſolo ultimo quieſcit; atqui & Ultimus finis, & Ultimum veritatis, ac bonitatis criterium eſt, in quo ſolo quieſcit appetitus, & intellectus; quia ita eſt ultima veritatis agnitae ratio, ut mens noſtra *ulterius procedere rationem quaerendo* non debeat: ergo cetera omnia vera, & bona ad ultimum finem, & ad ultimum criterium referre neceſſe eſt. Tertio, ſicut ultimus finis plene ſatiare debet appetitum, ita & criterium veritatis, & bonitatis & appetitum, & intellectum; propterea debet totaliter ei adaequari, atque perfecte eidem dominari, alias nec intellectus, nec appetitus rationalis in eo ceu in ultimo perſtaret, proinde nec ultimus finis, neque ultimum criterium foret; unde quia omnis inclinatio appetitus, & intellectus ad verum, & bonum eſt propter quietem in vero, & in bono, adeptio illius dicitur *finis*, quia *quietando finit*, & terminat deſiderium appetitus, & intentum intellectus. Rationem igitur *Ultimi finis* habet veritatis criterium ultimum, quia *certificando finit*, & *terminat* ſtudium intellectus, ut ulterius rationem quaerendo procedere non poſſit; imo ipſiſſimus finis ultimus & unicum, & propriiſſimum omnis bonitatis criterium eſt abſolutiſſimum: ergo & omnis veritatis. Cumque omnia bona referantur ad Ultimum Finem, ipſum ſuper omnia *alia* bona eſſe, eaque in ſe eminenter continere neceſſe eſt: dicitur proinde *Summum Bonum*, *Felicitas*, & *Beatitudo*, cuius poſſeſſione, & fruitione aeternum felices & beati efficimur. Cumque Idipſum ſit non ſolum omnis bonitatis, ſed etiam omnis veritatis Finis & Criterium, ad quod omnes veritates reducuntur, merito etiam *Summum Verum*, ſicut *Summum Bonum* eſſe cognoſcitur, diligitur, & aeſtimatur.

Genuinum omnis scientiae, & veritatis, omnis virtutis, & bonitatis tam supernaturalis, quam naturalis ostenditur criterium.

CLXIV Sicut autem in *resolutione veritatis* aut scientiae criterium est *ultimum*, ita in *intentione scientis*, qui ultimam sui sciti rationem dare intendit, ac scientificus esse, & haberi cupit, *ultimum* criterium est *primum*: & sicut omnis scientiae, & veritatis est *ultimus finis*, ita omnis veritatis & scientiae est *primum principium*. Idem proportionaliter concludendum de *criterio omnis virtutis*, & *bonitatis*. Pro cuius pleniori intelligentia perpendere iuvat comparationem apud D. Thomam frequentissimam, quam inter intellectum & voluntatem variis in locis producit. Sic enim se habet amor ultimi finis in appetibilibus, sicut cognitio principiorum in intelligibilibus; unde sicut prima principia, secundum quae in anima sicut in speculo *Prima Veritas* resultat, (*num.* LIV) sunt prima cognita; ita beatitudo seu finis ultimus est primum volitum: & sicut non assentimur particularibus conclusionibus, nisi quatenus cohaerent cum primis principiis; ita nec volumus particularia bona, nisi quatenus connexa sunt cum ultimo fine, scilicet beatitudine: & demum sicut cognitio principiorum movet ad omnes alias cognitiones, quatenus per eam illustrati cetera intelligimus, ideoque radix est omnium cognitionum; imo ceterae cognitiones non sunt nisi quaedam *illius primi luminis* propagationes & diffusiones; ita primus ille beatitudinis amor movet ad alios amores, quatenus per illum excitati, ea quae ad ipsum ducunt, quaerimus, estque prima omnium affectuum radix: imo ceteri affectus non sunt, nisi quidam illius primi amoris rami, propagines, & diffusiones, ceu lineae ab hac circumferentia natae, & in eius centrum scilicet beatitudinem terminatae. Vide supra *n.* CXLIV.

CLXV Deplorari igitur satis non potest, quod licet humanus appetitus, & intellectus tam late pateat, ut sola Veri ac Boni infiniti possessione satiari queat, tot homines tamen, falsa existimatione decepti, plenam desiderii, & capacitatis satietatem reponant in rebus angustae veritatis, ac bonitatis umbraticae, ut voluptuosi in deliciis carnis &c. avari in splendore, & fruitione argenti, & auri, superbi in ambitione honoris &c. quatenus putant in his rebus se sui desiderii perfectam quietem reperturos, & ideo dicuntur eam habere pro Deo suo, idest, pro summo Bono. Huius vero miserrimae deceptionis radix est, quod homo in hac mortali carne *passionibus* potius, quam *Ratione* agatur; corpus enim, quod corrumpitur, aggravat, idest, affectibus ex se natis trahit animam; unde quid sibi sit bonum, magis *passionum gustu*, quam *rationis lumine* determinat: contingit autem passionem aliquam ita vehementer intendi, ut ceteras aut opprimat, aut ad se trahat, sicque voluntati dominetur sola,

quam ita excaecat, & coarctat, ut solum illius passionis bonum & advertat, & appetat; sicut oculus per foraminis angustias respiciens, ea solum advertit, quorum species foramen admittit: unde sic coarctata tum intellectus, tum appetitus facultas, illo modico vero & bono obtento, se perfecte felicem fore aestimat, ideoque omne studium & omnem affectum ad ipsum dirigit, quod praecipue perspicitur, si homo profani amoris aestro percitus observatur. Verum quando possessione passionis ardor sedatur, voluntas, & intellectus laxato quasi vinculo ad nativam spherae suae amplitudinem redit: ac boni possessi insufficientiam detegens, nova bona, veraque entia quaerit, quibus vastissimum capacitatis, & desiderii hiatum explere possit. Atque haec potior ratio est, cur mali novis desideriis semper aestuantes, suam felicitatem vilissimis in rebus ponant, attamen in nullo quiescere valeant. Boni e contrario secundum rationem ultimum finem inquirunt, & per eumdem ceu summum Verum, & summum Bonum ipsorum intellectus, & appetitus plene beati fiunt. En, quanta bonos inter, & malos sortis distantia!...

CLXVI Quia autem ultimus finis, & primum principium sibi mutuo adeo arcte cohaerent, ut primum principium ultimus finis, & finis ultimus primum principium sit, ideo primum intelligentiae nostrae principium est ultimus finis, & voluntatis nostrae ultimus finis est principium primum: *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est Omnipotens* *. Solus igitur & ipse Deus omnis veritatis, & omnis certae ac evidentis cognitionis Primum Principium est & Ultimum Criterium, quia est summum Verum; quia autem summum Verum, necessario est summum Bonum, ideo omnis virtutis, & bonitatis Ultimus Finis est & Ultimum Criterium, proinde omnis scientiae, & veritatis, omnis virtutis, & bonitatis tum ex parte nostri intellectus, tum ex parte nostrae voluntatis genuinum habetur criterium. Ante huius *manifestam demonstrationem* bene observes, velim, secundum omnium Doctorum consensum obiectum intellectus esse *universale Verum*, sicut voluntatis *universale Bonum*; *Verum autem, & Bonum universale in solo Deo reperitur*: sunt verba Patris Goneti Thomistae praeclari Theologi, quocum in hac causa omnes Catholici Theologi consentiunt, quae vel ideo fideliter describo ex suo Tractatu Theologico, ut tu tandem manibus tangas, cuiuscunque Philosophiae propemodum cum sua Theologia dissonantiam, quae *obiectivam rationem* per suas *praecisiones* philosophicas, & conceptus negat, in Theologicis autem secundum fidem, & sanam rationem iterato affirmat. Nullam ex cunctis Dialecticam, aut Metaphysicam reperies, quae non constanter teneat, *Bonum*, *Verumque universale*

* *Apoc. I v. VIII.*

non esse aliud quid, quam bonum, verumque a conditionibus materialibus per praecisionem ab intellectu abstractum, ac insuper, si de Peripateticis loquamur, ab intellectu per abstractionem *factum* ita, ut etiam a plurimis Philosophicis *Ens rationis fictum* passim nominetur, & tamen ab omnibus hoc ipsum *Verum, & Bonum universale* adaequatum obiectum intellectus, & voluntatis in Philosophia commendatur: unde propria ista Scholasticorum confessio, & contradictio contra eosdem validissima est argumentatio. *Verum* autem, & *Bonum universale in solo Deo reperitur*, pergit P. Gonet, *non vero in aliqua creatura, quae habet solum veritatem, & bonitatem participatam, & ordinatam ad ipsum Deum, qui est fons totius veritatis, & bonitatis*. Unde S. August. lib. de moribus Ecclesiae c. VIII *Bonorum summa nobis Deus est, Deus est nobis summum Bonum, nec infra remanendum nobis, nec ultra quaerendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est*. Et alibi: *Irrequietum est cor nostrum, Domine, donec requiescat in te*. Utinam mortales saperent aliquando, & intelligerent!...

CLXVII Exspectationi Lectoris ut tandem *per demonstrationem* genuini omnis scientiae, & virtutis, omnis veritatis, & bonitatis criterii satisfiat, hisce paucis grande negotium absolvitur. Secundum communissimam notionem, & acceptationem criterium veritatis, & bonitatis est *ultima ratio omnium rationum rerum, & idearum, ultima ratio omnis certitudinis, & demonstrationis, ultima ratio omnis scientiae, & evidentiae, est ultima ratio omnis virtutis, & bonitatis*; evidentia autem, & veritas, virtus, & bonitas per criterium veritatis, & bonitatis approbata, seu certificata, & demonstrata est *cognitio certa, & evidens rei per causam certam, evidentem, infallibilem, & incommutabilem*; est *volitio bona, & perfecta virtutis per causam bonam, perfectam, infallibilem, & incommutabilem*. Haec est essentialis constitutio, qua tam criterium veritatis, & bonitatis, quam veritas, & bonitas per criterium approbata, & certificata constituitur adeo necessaria, ut secus esse nunquam posset *Ultima illa Ratio*, propter quam cuicunque, idest, omni veritati adhaeremus, & quidem adhaeremus certitudinaliter sine omni dubio, adhaeremus firmiter absque omni vacillatione, adhaeremus constanter absque omni erroris latentis formidine. Subsumo: nihil autem potest nos homines mendaces, & fallibiles, depellendo omne dubium, reddere *certos*, nisi quod ipsum sit *omnium certissimum*, & extra omne periculum: ergo id, quod est omnium certissimum extra omne dubium, quod est fortissimum omnium supra omnem infirmitatem, quod est securissimum extra omne periculum, est omnis scientiae, & veritatis, omnis virtutis, & bonitatis unicum genuinum criterium *certissimum, fortissimum, securissimum*: & quia certissimum, ideo infallibile, quia fortissimum, ideo insuperabile, & quia securissimum, ideo incommutabile. En! genuinum omnis veritatis,

& omnis Bonitatis Criterium, rerum omnium, & *Ultimus Finis* & *Primum Principium.*

CLXVIII Quid autem eſt (ut *demonſtratio* iſta, veluti alter Ioannes praecurſor *Solis Intelligentiae* Chriſti Domini, Hunc Ipſum omnis Veritatis & bonitatis primum Principium & ultimum finem ſuo indice demonſtret.) Quid eſt hoc vetitatis & bonitatis *Criterium certiſſimum & infallibile*, hoc *fortiſſimum & inſuperabile*, hoc *ſecuriſſimum & incommutabile*? Diſquire integrum huius operis argumentum, & indicabit tibi, *num.* XVIII quatenus anima rationalis non niſi ſecundum Rationem obiectivam rationabiliter operatur. Quaere *num.* XX & indicabit tibi, quatenus mentis noſtrae lux naturalis eſt Deus, ſicut lux mundi eſt ſol materialis. Quaere *num.* XXXVII & indicabit tibi, quatenus intellectus noſter nullam rem poteſt ſimpliciter percipere, niſi iuvetur ab intellectu entis perfectiſſimi, in quo ſunt rationes omnium rerum. Quaere *num.* XXXVIII & indicabit tibi, quatenus definire eſt rem quamcunque cognoſcere, quid & quantum de ſua perfectionis menſura, quae ipſum Ens perfectiſſimum eſt, contineat, aut deficiat: *Numerus* LII indicabit tibi, quatenus intellectus humanus veritatem propoſitionum incommutabilem eſſe ſcit per lucem, quod illuminat omnem hominem: *Numerus* LIV indicabit tibi, quatenus certitudo ſcientiae eſt ex lumine Rationis, quo in nobis loquitur Deus: *Numerus* LVII indicabit tibi, quatenus unica infallibilis ratio menſura & regula ad omnia diſcernenda & iudicanda, ad omnia affirmanda & neganda, ad approbanda & reprobanda eſt Deus: *Numerus* LVIII, quatenus anima in Rationibus aeternis cognoſcit omne Verum: *Numerus* LX, quatenus anima noſtra, quia eſt eſſentialiter, & non pure ex accedenti imago Dei Immortalis, non poteſt interius obiective ab alio immediate doceri niſi a ſolo Deo: *Numerus* LXII, quatenus nos ipſi ſumus viventes ac ſubſiſtentes imagines ac ſimilitudines ipſius Solis intelligentiae Dei vivi: *Numerus* LXIII, quatenus mens noſtra ſemper reputatur informis, niſi ipſi Veritati iugiter inhaereat: *Numerus* LXIV, quatenus Deus animam noſtram ad ſuam imaginem format per propoſitiones aeternae Rationis: *Numerus* XCI, quatenus definitiones & regulae certae, axiomata & adagia omnium ſcientiarum & artium aeternae Rationis infallibiles enunciationes ſunt. Quaere, & *Numerus* XCVIII indicabit tibi aeternae Rationis obiectivae, quae ſola nos intus docet, deſcriptionem magnificam, quatenus eſt aeternum, & incommutabile quid, definitivum, & aeternaliter determinativum omnis quaeſtionis de vero, & falſo, de iuſto & iniuſto, de poſſibili, & impoſſibili, exſiſtens incommutabilis lex eſſendi, lux intelligendi, & regula volendi, quod ſolum dat menti creatae ratiocinari, ac intellectualiter vivere: atque hoc ipſo, quia aliquid aeternum, & immutabile eſt, debet eſſe aliquid Divinum, id eſt, realiter ipſe Deus

O. M. & appropriate Ipsum Verbum Christus Iesus, unus internus Doctor, omnis veritatis & bonitatis magister unus, & verus CRITICUS (*num.* CLXXXIII). Et tandem quaerendo ulterius volve, & revolve totum opusculum, & demonstrando indicabit tibi, & omni lectori, quatenus *medius* * *vestrum stetit*, *quem vos nescitis*, *Ipse est*, sicut *Primum Principium* omnis scientiae, & veritatis, omnis virtutis, & bonitatis, ita Ipse solus est *genuinum Criterium*, *& ultimus Finis.*

Infallibile Veritatis Criterium Fidei accommodatur.

CLXIX In immensum tum *credendi*, tum *ratiocinandi* campum sese extendunt *Fides*, & *Ratio*, & infinitum prope in humanis habent usum. Quidquid enim cognoscimus, & probamus, quidve appetimus, aut reiicimus, totum id facimus vel *ex argumento intrinseco*, seu *ratione*, quam ex praedictis in naturali idearum, rationumve connexione constitutam novimus, atque ab ipso Deo naturae auctore, appropriate a Christo Domino, qui ipsa aeternae Ratio obiectiva est, intra nostrum spiritum rationis lumine communiter edocetur, secundum quod in Prima, Secunda & Tertia operis huius parte ad oculum usque demonstratur: aut si idipsum ex intrinseca ratione praestare non possumus, *rationem extrinsecam*, quae etiam *argumentum extrinsecum* dicitur, & *in aliorum relatione* consistit, libenter accipimus, & instanter adhibemus. Ea rerum cognitio, & notitia, quae tota *rationis extrinsecae*, *asserentis* scilicet *testimonio*, tanquam suo fundamento, innititur, *Fides* nuncupatur. *Fides* enim *propriissime sumpta est assensus alicui propositioni ob extrinsecum tantummodo asserentis testimonium praestitus*, quin rei ipsius veritatem in ipso naturali rationis lumine videamus, aut ex aliis sola idearum, rationumve connexione, & cognitione deducamus, sed tantum ex eo propositionem tanquam veram admittimus, quod rem ab eo accipiamus, cuius & *bonitas*, & *scientia* suum pondus apud nos habent. Ideo sua in fide *certitudo*, *moralis evidentia*, *aut demonstratio*, sua *infallibilitas*, aut *probabilitas*, sua *coniectura*, aut *dubium*, *ignorantia*, aut *falsitas*, imo & *impossibile* reperitur, secundum quod testimonium asserentis firmum, aut debile observatur. Ecce quanta *criterii fidei* sit necessitas!

CLXX Fidei & *Divinae*, & *humanae* fundamentum *primum*, & *ultimum* est *auctoritatis* quidpiam asserentis *testimonium*, cuius veracitas, certitudo, & pondus ex hac aeterna Ratione, & Regula, ceu *suo criterio* indubitanter cognoscitur, atque libratur: *tanta certitudo, & securitas est in quolibet credente, quanta probitas, & scientia reperitur in auctore.* Seu quod idem sonat: *secundum rationem maioris, aut*

* *Ioan. I v. XXVI.*

minoris probitatis, & *scientiae in dicente*, *ratio maioris*, *aut minoris certitudinis*, & *securitatis est in credente*. Regula ista, quae immortalis attentionis est digna, ex Sole intelligentiae ceu illustris radius procedit, unde sicut & radius solaris per ipsam lucem solis, clarissime demonstratur. Quo *maior* enim auctoris aliquid dicentis fuerit *scientia*, & *probitas*, eo *minor* semper erit facilitas, aut ipsum ab aliis falli, aut alios fallere, quia *ignorantia*, quae privatio scientiae est, facile ab aliis fallitur, sicut *malitia*, quae *probitatis* est defectus, alios fallere molitur (*n.* II). Pro maioris igitur auctoris aliquid asserentis *scientia* & *probitate*, difficilius semper est, ut ipse ab aliis fallatur, aut alios fallat. Veluti facilius, difficiliusve est pro maiori, aut minore lucis splendore sive videre, aut caecutire, sive progredi, aut errare. Propterea si in veritatis assertore *ex sua natura summa Sapientia*, & *infinita Probitas* sit, qualis, & quanta in Deo O. M. reperitur, aut si *ex gratia* & singulari Spiritus veritatis assistentia *infallibilis* custodiatur, qualis *Una*, *Sancta*, *Catholica*, & *Apostolica* Ecclesia conspicitur (*num.* III & *seq.*) huius auctoris, utpote *infallibilis*, testimonium ut fallatur, aut fallat, impossibile est, atque ut omni ex parte *infallibile*, certissimumque sit, omnino est necessarium. Secus evenit in testimonio humano, nullo *infallibilitatis* praesidio munito, quod ob *scientiae* infirmitatem falli & ob *probitatis* defectum fallere potest. Colliges ex praedictis auctoritatem Divinam omnis *fidei*, & omnis *auctoritatis* humanae & angelicae primum esse principium, & ultimum criterium. Nam sicut nulla *potestas*, ita nec ulla *auctoritas*, nisi *a Deo* suo primo auctore, & *propter Deum* Finem suum ultimum data conspicitur.

Infallibile Criterium infallibiliter credentis, est infallibilis auctoritas dicentis.

CLXXI Si in Criterio infallibilem rationem, in credente infallibilem fidem, & in auctoritate Divinam Maiestatem suspicias, vel solus, quem praefixum legis, titulus convincens argumentum tibi videbitur. Tanta enim necessitate *infallibilitas fidei* cum *infallibili auctoritate* coniungitur, ut sine hac nulla criterii infallibilitate fides tanquam infallibilis comprobari possit. *Infallibilis* autem *auctoritas Dei* aliquid obscurum revelantis, est ipsa *prima Dei in dicendo Veritas*, quae est summa, & infallibilis conformitas dicti, quod Deus suo verbo dicit, cum mente, & conceptu dicentis Dei, qui nec fallere, nec falli potest ex eo, quod sicut prima *Veritas in dicendo*, ita & prima *Veritas in essendo*, & in *cognoscendo est*; in Deo enim exsistit summa, & incommutabilis conformitas immensae Divinae essentiae, a creaturis infinitis modis participabilis, & miris formis participatae, cum intellectu divino, & vicissim exsistit in Deo summa, & inmmutabilis conformitas intellectus Divini cum immensa Divina essentia, a creaturis

infinitis modis participabilis, & miris formis participatae; atque propter hanc conformitatem dicitur Deus *prima Veritas in cognoscendo*, propter alteram *prima Veritas in essendo* appellatur.

CLXXII Quod si huius summae triplicis conformitatis ultimam rationem petas, revolve numerum CLX, reperies ibi, quam desideras, ultimam primae Veritatis rationem, quia nimirum *Deus Ens perfectissimum, & Bonum optimum, supra quod nec est, nec esse potest aliud maius, aut melius, &c.* Propterea Deus fallere non potest, aut falli; nam si falleret bonus non esset, sed malus: si falleretur, omniscius non esset, & ignorentia laboraret, ideoque Deus non esset (*vide n.* I) *Prima* igitur *Veritas Dei in dicendo*, seu *infallibilis auctoritas Dei aliquid revelantis* est *Prima* & *ultima Ratio* illa, secundum quam, & propter quam fidelis firmiter, certo, & *infallibiliter* assentitur veritatibus fidei, cuique innititur *infallibilis certitudo* assensus fidei; nam sicut omnia a Deo, cuius veritas, & auctoritas in dicendo est infallibilis, revelata, sunt infallibilis veritatis, ut repugnet eis subesse falsum; ita actus, vel assensus fidei ob id sortitur *infallibilem* certitudinem, & certam *infallibilitatem*, etsi obscurus sit. Atqui praedicta *prima*, & *ultima Ratio est infallibile criterium*: ergo infallibilis auctoritas dicentis est infallibile criterium infallibiliter credentis. Quapropter

Fides infallibiliter credentis in dicentis infallibilem auctoritatem tanquam in criterium resolvitur.

CLXXIII Fidei *resolutio* est *Veritatis*, quam credimus, *usque ad suum primum principium*, seu *ad primam Rationem, propter quam credimus veritates revelatas, ultimata deductio.* Primum principium, seu prima Ratio fidei vel ideo, quia omnium prima est, adeo simul est ultima, ut non minus Ratio ultimi finis, quam primi principii esse possit. Prima, quia nulla alia ante illam, & ultima, quia nulla alia, aut ulterior Ratio post illam a sciscitante requiri potest, aut debet (*n.* CLXIII). Quod si claritatis gratia *resolutionem* seu *deductionem* fidei ad suum primum principium & finem ultimum *reflexionem* dixeris, idipsum prope praestabis, ac si speculum, in quod sol plena luce incidit, versus ipsum solem direxeris, directumque ita apposueris, ut incidenter radios directe in solem tanquam primum illorum principium, & finem ultimum reflectat, & deducat. *Infallibilis auctoritas Dei* obscura fidei mysteria revelantis est *Sol iustitiae, & intelligentiae* mystica caligine, ceu nube, temperatus: Hic Divinus sol mysteriorum revelatione, veluti radiorum suorum emissione, credentis speculum mentis *lumine fidei* illuminat, & quid credat, *infallibiliter* eidem designat. Attende iam istum *illuminantem* Solem, & *lumine fidei illuminatum* credentem, & fidei ad infallibilem Dei aliquid obscurum revelantis auctoritatem, tan-

quam ad ſuum primum principium, finemque ultimum ſeu infallibile ſuum criterium reflexionem, reſolutionemve prope evidenter perſpectam habebis. Etenim prima, & ultima Ratio, ſeu principium primum & ultimum, *propter quam* veritates revelatas credimus eſt ſola prima Veritas, ſeu infallibilis Dei revelantis auctoritas. Hoc tibi ipſa experientia demonſtrat; nam quiſpiam fidelium rogatus: cur credat, aut propter quam rationem aſſenſum praeſtet huic propoſitioni, V. G. *Unus eſt Deus, & praeter illum non eſt alius, trinus in Perſonis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt, Filius Dei factus eſt homo&c.* Immediate reſpondet: *Quia Deus id revelavit.* Ulterius rogatus: Cur credat Deo revelanti? *Quia Deus eſt Prima, & ſumma Veritas*, inquit, *& in dicendo infallibilis auctoritas.* Et ecce, hic eſt ordo ultimae reſolutionis fidei in ſuum primum principium, & ultimum veritatis criterium. Quod ſi quiſpiam quaerat ulterius: Cur credat primae Veritati, ſtulte, & inepte quaerit nulla reſponſione dignus; nam eadem & prima Veritas ſicut *in dicendo*, ita & *in eſſendo*, & *cognoſcendo* eſt ipſa vivens Veritas. Fidem igitur infallibiliter credentis in dicentis infallibilem auctoritatem reſolvi, ex praedictis evidenter conſtat.

Quomodo fides infallibiliter credentis reſolvatur in auctoritatem Eccleſiae?

CLXXIV Fides Divina, etſi eſſentialem, & infallibilem veritatem, ac certitudinem ſuam ab ipſa prima veritate, ſeu infallibili auctoritate Dei revelantis, ceu radius ſolaris ſuam lucem a ſole, deducat; hoc non obſtante ſecundum ordinariam modernae Providentiae legem inſuper a ſufficienti credendorum propoſitione neceſſario dependet; ea autem credendorum propoſitio cenſetur ſufficiens, quae per *motiva credibilitatis* myſteria fidei a Deo revelata eſſe, & hoc ipſo credibilia, & credenda eſſe efficaciter perſuadet. Id ipſum inſinuat Apoſtolus ad Rom. 10 *Quomodo credent ei* (Deo revelanti), *quem non audierunt? quomodo autem audient ſine praedicante?* qui fidei myſteria proponat, eademque *a Deo revelata eſſe* prudenter ſuadeat. Ratio eſt. Quia fidei aſſenſus, quem rebus a Deo revelatis propter eiuſdem infallibilem auctoritatem praeſtamus, etſi ſit obſcurus, debet eſſe *firmus* etiam circa hoc, *quod res*, quibus aſſentitur, *a Deo revelatae ſint*; *firmus* autem circa id nunquam eſſe poterit, niſi hoc, & illud fidei myſterium a Deo fuiſſe revelatum, quod fides tanquam revelatum a Deo credit, efficacibus ad perſuadendum motivis ſufficienter proponatur. Unde ſi Miſſionarius Apoſtolicus praedicet infidelibus, *Deum eſſe unum, & trinum, Dei Filium crucifixum reſurrexiſſe a mortuis, iudicemque venturum* &c. idque a Deo eſſe revelatum, proinde *certiſſima fide* tenendum; niſi vir hic Apoſtolicus tum ſuae aſſertionis, tum revelationis de dictis myſteriis a Deo factae, efficacia *credibilitatis motiva* proponat, nemo dicta myſteria *tan-*

quam a Deo revelata prudenter credere poterit, & minus debebit, *Fidei* enim *obsequium rationabile est*. Rom. XII. Et, *qui cito credit, levis est corde*. Eccl. XIX.

CLXXV In prima fidei praedicatione huiusmodi *credendi*, seu *credibilitatis motiva* potissimum fuerunt *miracula*, & praedicantium *Sanctitas*. Amodo autem, postquam Fides per orbem est propagata, motivum credendi praecipuum est, semperque fuit ipsa *Unius*, *Sanctae*, *Catholicae*, *& Apostolicae Ecclesiae Una*, *Sancta*, *Catholica*, *& Apostolica auctoritas*, non equidem, inquantum ex infallibili assistentia Spiritus Sancti credenda proponit, atque decernit, & eatenus, ceu organum Spiritus Veritatis, Verbum Dei, fide divina credendum dicit; sed quatenus est congregatio hominum plurimorum, qui a Christo Domino, & SS. Apostolis continua serie, & nunquam interrupta successione descendunt, innocentia vitae, scientia, & virtute praestantium, qui admirabili consensu, tot continuis seculis, toto terrarum orbe, eamdem fidei Doctrinam, quae ab omni eo, quod mundus amat, tota aliena est, firmiter tenuerunt, eamdemque contra innumerabiles adversarios, qui malitia, & potentia formidabiles erant, fortiter, constanterque defenderunt, & saepissime etiam effuso sanguine, & ipsa morte attestati sunt. Propterea si eumdem fidelem, quem supra salubriter tentasti, ulterius examinaveris: Unde tu scis, quod Deus tibi revelaverit, *Deum esse unum*, *Trinum*, *Christum Dei Filium crucifixum* &c. sine mora respondebit: *Quia id Deum revelasse Catholica attestatur Ecclesia* *, quae illustrissima plurimorum hominum est congregatio *&c.* secundum paullo ante dicta, estque incomparabiliter *Una*, *Sancta*, *Catholica*, *& Apostolica auctoritas* *, cuius demonstrationem vide *n.* III *& seq.* A primo igitur ad ultimum, *Fidei certitudo* quiescit supra testimonium Dei: *Prudentia* autem *Fidei*, seu ut *rationabiliter* credere possim, ea, quae fides docet, a Deo ad credendum esse, vel fuisse revelata, fundat se supra infallibile testimonium *Unius*, *Sanctae*, *Catholicae*, & *Apostolicae Ecclesiae*, id est, supra *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apostolicam auctoritatem*. Cuius incomparabilis auctoritatis ipsa

* *Evangelio non crederem*, ingenue confitetur D. Augustinus, *nisi me Ecclesiae moveret auctoritas . . . multa sunt, quae me in eius gremio iustissime teneant: tenet consensus populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutriata, charitate aucta, & firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum, successio Sacerdotum: Tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic illa Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot, & tanta nominis Christiani charissima vincula, recte hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia. Haec S. Augustinus.* c. IV contra Epist. Fundamenti.

auctoritas Dei primum principium est, & ultimum Criterium, quia *primum in unoquoque genere est Ratio, causa, & Criterium omnium eorum*, quae primum hoc infinitis modis participabile participant (*vide n.* CLXIII).

Infallibile Veritatis Criterium Divinae revelationi, seu Verbo Dei assignatur.

CLXXVI Prima in dicendo veritas seu *Dei revelantis aliquid infallibilis auctoritas* praeter primam Veritatem Dei includit, seu potius aperte exprimit, ipsam etiam *revelationem*, seu *Dei locutionem*, nimirum *formale Dei Verbum.* Haec ipsa quoque revelatio Dei, seu Verbum Divinum formale, similiter suo includit. I Ipsum Divinae mentis de veritate aliqua credenda conceptum, & est *locutio Dei interna*: II manifestationem talis veritatis, & hoc dicitur *locutio Dei externa*, quae fit per *inspirationes*, per *voces*, per *scripturas*, aut alia *signa*, per quae velut per totidem instrumenta Deus mentis suae conceptus hominibus manifestare solet. *Locutio Dei*, seu *revelatio Divina* alia est *originalis*, alia *traditionalis. Originalis* est, quae immediate ab ipso Deo homini credenti fit, aut iam facta est, revelatione hac plurima olim a Deo didicerunt SS. Prophetae, Apostoli, & Discipuli Christi. *Traditionalis* vero Revelatio est, qua nos Christiani omnes, quidquid *in Verbo Dei scripto*, & *tradito* continetur, tanquam veritates a Deo revelatas firmissime tenemus, non quasi nos ipsi revelationem immediate a Deo acceperimus, sed a Deo aliis hominibus factam, tum *Traditione*, tum aliis argumentis * novimus.

CLXXVII Criterium *revelationis originalis* est ipsa aeterna Ratio obiectiva, veritas, & auctoritas Divina intelligentiae, & iustitiae Sol, Deus & D. N. I. Christus, omnis veritatis *supernaturalis* non minus, quam naturalis unus magister & criticus, pri-

* Fides *rationabile obsequium* nuncupatur, non quasi ipsa uni & soli revelationi Divinae non innitatur, sed quod ratiocinium moraliter certum: quo ad fidei actum perducamur, praemittere necessum sit, priusquam actum fidei eliciamus, firmoque mentis assensu veritati revelatae adhaeremus. Fides enim *rationem praesupponit*, inquit S. Aug. Epist. CXXII, *& nunquam induci possemus ad ea, quae rationem superant, credenda, nisi ipsa ratio nobis persuaderet; rationi enim maxime consentaneum est, Divinae nos auctoritati captivos subdere.* Quamvis igitur Apostolus iubeat *captivare intellectum in obsequium fidei*, id tamen ut *temere, & sine ulla ratione* faciamus, non exigit; cum Deus evidentissima, & omnium intelligentiae accommodata suppeditaverit *credibilitatis motiva*, ut exhibeamus Divinae suae Maiestati, & auctoritati *rationabile obsequium* nostrum. Et quamvis fides Divina maiore auctoritate, quam ratio humana, excellat, prout id ipsum aeterna Ratio dictat, quae semper id, quod certius est, minus certo praeferendum iubet: certius autem id est, quod verum esse Deus dicit, quam id, quod nobis humana ratio suadet; utpote magis a Dei natura abhorret fallere, quam a nostra falli; attamen non ita intelligenda res est, quasi fides a ratione nullatenus pendeat. (*vide n.* CLXXIV)

mum principium, ultimus finis, & infallibile Criterium (*n.* CLXVII & *seqq.*): Hic Divinus intelligentiae Sol, mysticae caliginis nube temperatus, supernaturali lumine fidei & revelationis menti humanae, secundum propositum beneplaciti sui, ineffabilibus, mirisque modis sese communicat, conceptus suos manifestat, atque veritatem demonstrat; cuius profundi mysterii illi duntaxat, qui experti sunt quam suavis sit Dominus, quamdam ideam retinere possunt: nec verba, nec voces, aliave signa, quibus intimam Dei loquelam exponant, superesse fatentur unanimes. Nos hac in arte caeci sumus, illi autem merito *videntes* dicuntur: qua vero ratione iis, quibus visionis sensus semper defuit, luminis, colorum, visusque ideam, & sensum explanabis? Criterium hoc *originalis* revelationis superat etiam ipsam rationis evidentiam: non quasi humani *rationi evidenti* falsitas inesse possit; sed quod naturale lumen rationis ad inaccessibilem illam Dei supernaturalem lucem, veluti crepusculum aestimari debeat (*vide n.* CXV, CXVI, & *seqq.*). Ceterum quod *lumen Spirituale* non aliud sit secundum S. Thomam, quam quaedem *manifestatio veritatis*, ideoque *aliquem illuminare est notam veritatem eidem tradere*, id totum iam ex *num.* CXXXII noveris. Criterium *revelationis traditionalis* quod attinet, in quantum *veritatem mysterii* tradit, huiusmodi *veritatis* Criterium est ipsa prima Veritas Dei in dicendo, seu infallibilis Dei loquentis auctoritas, utpote haec ipsa auctoritas Dei eamdem veritatem revelavit, non quidem immediate nobis, sed aliis hominibus, *Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Christi Discipulis &c.* & ideo quoque sicut omnis alia fidei veritas revelata, in Dei revelantis infallibilem auctoritatem ultimo resolvitur, secundum quod in prioribus numeris id abundanter dictum est, & demonstratum. In quantum vero dicta *traditionalis revelatio* ipsam *traditionem*, qua veritas revelata ab Una, Sancta, Catholica Ecclesia nobis *traditur*, significat, sicut haec ipsa Ecclesia Una, Sancta, Catholica, & Apostolica auctoritas, cuius testimonium per Dei assistentiam infallibile est (*n.* III & *seq.*); ita huius *incomparabilis auctoritatis* ipsa infallibilis *auctoritas Dei* primum principium est, & ultimum Criterium. Repete *n.* CLXXIV & CLXXV.

Catholica doctrina Fidei, & morum est traditionalis revelatio Divina.

CLXXVIII Nunquam infallibiliter credere possum, *quid Deus loquatur*, nisi infallibiliter securus, certusque sim, *quod Deus loquatur*. Nequaquam enim infallibilis fidei Divinae actus subsistere potest cum actuali formidine, *ne non sit locutus Deus.* Neque formido huiusmodi nisi per testimonium *infallibilis Ecclesiae* funditus tolli potest, utpote in quam, ceu in praecipuum *credibilitatis motivum* (*n.* CLXXIV) fides ex parte credentis resolvitur. Nam si testimonium Ecclesiae *fallibile* foret, incompati-

bilem cum infallibili fide Divina, formidinem, *ne non sit ita locutus Deus*, non tam in credente tolleret, quam in eodem plus augeret. Cum enim secundum dicta *n.* CLXVII Fidei *primum*, & *ultimum* fundamentum sit *auctoritatis* quidpiam afferentis *testimonium*, neque fabrica firmitatem maiorem, quam suum, cui imposita est, fundamentum, habere possit, si testimonium Unius, Sanctae, Catholicae, & Apostolicae Ecclesiae fuerit *fallibile*, etiam cum actuali formidine de opposito, seu *ne non sit ita*, *prout dicit Ecclesia*, coniunctum erit; ideoque credentis *assensum*, quo fallibili Ecclesiae testimonio adhaerens, *Deum ita*, *& non aliter locutum* credit, *fallibilem* totum, & de errore *formidolosum*, ideoque non *infallibilem actum Fidei Divinae*, sed *opinionem fallibilem fidei humanae* efficeret: neque voluntatem inclinare potens esset ad id, ut intellectui ad expendendum proponeret, quantum securus sit *de existentia revelationis*, seu *quod Deus loquatur*, *& per suum Verbum de veritate mysterii revelati ipsum convincat*, dum infallibili testimonio totius Ecclesiae *infallibilis* credendo acquiescit.

CLXXIX Principalis istius veritatis ut profundius inspiciatur argumentum, antecedenter praenotandum, *totam Rationem*, seu *essentialem constitutionem revelationis traditionalis* esse, *quod sit Verbi Dei per Prophetas, per Apostolos, horumque successores Divina cum potestate, & auctoritate facta traditio*. Ita ut haec ipsa *traditio* sit *Divina Verbi Dei revelatio*, non equidem *immediata*, qualis est originalis (*n.* CLXXVI) sed *mediata*, qua Deus & Dominus N. I. Christus per *OS* suorum Apostolorum, horumque successorum, seu per *OS* suae Unius, Sanctae, Catholicae, & Apostolicae Ecclesiae ad nos loquitur, secundum suum infallibile testimonium. *Ite*, dicit apud suum Evangelistam, * *Ecce, Ego mitto vos.... Qui VOS audit, ME audit, & qui VOS spernit, ME spernit.* & Matt. ult. *Data est mihi omnis Potestas in caelo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.* Item apud Evang. Marcum. *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: quis vero non crediderit, condemnabitur.* Haec loquitur Deus & D. N. I. Christus non immediate per se ipsum ad nos,

* *Luc.* X Hinc colligitur, adnotat eximius Du Hamel in H. L. praepositis Ecclesiae datam esse a Deo potestatem non *docendi* modo, sed & *praecipiendi* ac *leges* condendi pro locorum, & temporum opportunitate. Pastoralis auctoritatis, uti & Veritatis, in Deo ipso fons est, & origo; Christo a Patre est communicata *per Incarnationem*, Apostolis data est *per missionem* a Filio, Episcopis *per successionem* non interruptam. Vox *audire*, in Scripturis non solum significat *acquiescere* docenti, sed et *parere*. Sic Pater de Filio loquens ait: *Ipsum audite*. Item Deuter. *Audi Israël*. Ita Du Hamel.

ſed ſicut olim per ſuos Apoſtolos, Evangeliſtas, & Diſcipulos, ita uſque nunc per ſuos ab Apoſtolis continua ſucceſſionis linea deſcendentes Epiſcopos, per ſuam Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, & ſicut iſta pauca, ita & reliqua innumerabilia Dei verba, ſive in S. Scriptura ſunt conſignata, ſive non mediante ſua *revelatione traditionali* ad nos hac ipſa hora adhuc loquitur. Unde *Doctrina Chriſtiana*, quam de ſingulis Fidei articulis, & myſteriis Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia fidelibus ſuis, aut etiam infidelibus *tradit*, eſt Una, Sancta, Catholica & Apoſtolica de ſingulis fidei articulis, & myſteriis *traditio*, ſeu *Divina traditionalis revelatio*; & vel ideo, quia traditio haec *Divina*, evidenter eſt *infallibilis*.

Catholica doctrina Fidei, & morum, ceu infallibilis revelatio traditionalis infallibili veritatis Criterio firmatur.

CLXXX Sacrum iſthoc *infallibilitatis* myſterium ut exſpectationi lectoris uberiori claritate reveletur, ad eiuſdem guſtum, & placitum, quam ſupra num. XLII & ſeq. propoſuimus in exemplum, reaſſumamus praxim, & quid unumquodque eorum, quae in hac quaeſtione: *An Divina revelatio traditionalis fallere, aut falli poſſit*, per litteras, voceſve ſignificantur, per *definitionem*, aut *genuinam deſcriptionem* eſt, ut clare, & diſtincte intelligamus, attenti invigilemus. *Ratio revelationis* eadem eſt, ac *traditionis* ſeu *manifeſtationis*, indifferens ad hoc, ut ſit vel *humana*, nimirum *auctoritate hominis* facta, vel *Divina*, idque ſive *immediate ab ipſo* Deo, ſive *Dei auctoritate mediante alio* propoſita. Unde quia revelatio traditionalis, cuius *infallibilitatem* pro praeſenti examinamus, ex primo ſuo principio, & ultimo fine *Divina* eſt, utpote a Deo & Domino N. I. Chriſto inſtituta, prout ex ipſis *Verbis* Chriſti paullo ante alatis: *Ecce Ego mitto vos .... qui VOS audit ME audit ... Euntes ergo docete omnes gentes ... Euntes in mundum univerſum praedicate Evangelium &c.* aperte conſtat, facile intelligitur, revelationem *Divinam* a revelatione *humana*, ſicut fidem *Divinam* a fide *humana* eſſe diſcretam: & non minus revelationem *Divinam*, quam fidem *Divinam infallibilem*, *fallibilem* vero & fidem & revelationem *humanam* eſſe, ipſa *infallibilis Ratio aeterna ceu criterium* immutabiliter dictat, & iudicat. Supereſt igitur, ut quae *ratio* vocis, *traditionalis*, ſit paucis exponatur. Vox *traditionalis* derivatur a *traditione*, quo nomine Dei Verbum (ſive ſcriptum, ſive non ſcriptum:) a Chriſto Apoſtolis ſuiſque diſcipulis traditum, & ab Apoſtolis conſtante ſucceſſione ad nos uſque delatum, exprimitur. Demum quaenam *ratio* verborum *fallere*, & *falli*, ſit, ex eo, quod, *fallere*, & *falli*, id ipſum ſit, ac falſum pro vero alios docere, aut ab aliis doceri, clare conſpicitur. *Ratio* autem verbi, *poſſit*, non aliquam *potentiam poſitivam*, ſed potius *defectum*, & *privationem* vir-

tutis, scientiae, & potentiae indicat.

CLXXXI Significatione terminorum, nominumque istius quaesiti: *An Divina revelatio traditionalis fallere, aut falli possit*? seu quod idem, sed clarius dicitur: *An Divina revelatio traditionalis sit fallibilis*? secundum *n.* XXXVII traditum documentum, clare & distincte, perspecta, *Rationem* descriptivam Divinae revelationis traditionalis (per quam semper *universalem fidei, morumque doctrinam* Unius, Sanctae, Catholicae, & Apostolicae Ecclesiae intelligas) in praecedenti numero consignatam posse ad dextram, *rationem* vero descriptivam *fallibilitatis*, seu *rationem* verborum, *fallere*, & *falli posse*, veluti ad sinistram colloca, & fixo mentis tuae aspectu, qui tua ratio est, instanter examina: an *ratio* descriptiva *Divinae revelationis traditionalis* sit *una*, & *eadem ratio* descriptiva *fallibilitatis*, seu *una*, & *eadem ratio* verborum, *fallere*, & *falli posse*? Et illico videbis, aeternam *Rationem Divinae revelationis traditionalis*, hoc ipso, quia *Divina* per immensam distantiam a *ratione fallibilitatis* semper fuisse, & pro semper esse divisam; omne enim *Divinum*, sicut *Divinitatis* splendore, ita & *infallibilitatis*, & *indefectibilitatis* honore pro suo merito est adornatum. Unde quiscunque *Divinam revelationem traditionalem fallibilem* dicere ausus fuerit, Ipsum Deum & fallere, & falli posse, concedere debebit; quia haec ipsa revelatio sicut *Divina*, ita & *Ipsius Dei* est revelatio, qui per *OS* suae Sanctae Ecclesiae ad nos continuo loquitur, *sicut locutus est per OS Sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum Eius. Luc.* I. Consequenter, & ideo *evidenter infallibilis*, quod erat demonstrandum. Colliges ex praedictis, quod eo ipso infallibili Veritatis Criterio *infallibilitas* Ecclesiae in Doctrina Fidei, & morum firmata sit, quo eiusdem Ecclesiae *infallibilis* in Doctrina fidei, & morum *auctoritas* est stabilita, secundum quod fundamentalis ista veritas in hac de infallibili criterio appendice iterato cernitur demonstrata. Veni, Vide, Lege!... *.

---

* *Non resta mai tanto meglio contestata una verità* (Ganganelli certum reddit Cardinalem Querini Bresciae Episcopum) *quanto che dall'insegnamento universale di tutta la Chiesa; e questa è una cosa alla quale maggior parte de' Teologi moderni non fanno quell'attenzione ch' è necessaria. Il dogma Eucaristico non si vide mai tanto solidamente stabilito, come quando fu fatta vedere un'affinità di dottrina su questo articolo tra la Cattolica Romana, e la Greca scismatica.*

Hoc ipsum *ex auctoritate Ecclesiae Latinae, & Graecae* petitum argumentem adapta reliquis, in quibus Ecclesia *Latina*, & *Graeca* consentit, Fidei veritatibus e. g. *quod septem numero sint Sacramenta*, & non alia, nisi *Catholica*: quod *detur purgatorium*: *quod laudabiliter Sancti colantur, & invocentur*: quod *Ecclesiae praeceptis sit obtemperandum*: *quod exsistat Dei Verbum scriptum, & traditum*: *quod Una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia in Doctrina fidei, & morum sit infallibilis, & sola vera Christi Ecclesia &c....* Atque hic *unanimis Ecclesiae Latinae, & Graecae consensus* adeo venerabilis auctoritatis & [illegible]tricis potestatis est, ut nemo eidem prudenter proprium

Infallibilis Doctrina Fidei, & morum supernaturalis Magisterii Christi Domini est effectus.

CLXXXII Ceterum *infallibilitatem* Ecclesiae in Doctrina Fidei, & morum, quam non ex sua natura, sed ex gratia possidet, furpernaturalis Magisterii Dei & D. N. I. Christi scias esse effectum. *Hic enim Divinus intelligentiae, & iustitiae supernaturalis Sol, & mundi lux vera, & vita*, quantum ex sua est parte, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sicut lumine rationis, quae *revelatio naturalis* est, ita etiam proportionaliter supernaturali lumine Fidei, & gratiae eundem illustrat: Hic ipse Dominus N. I. Christus, internus Magister unicus, & aeterna Ratio obiectiva, sicut naturam rationalem ad expressionem aeternae Rationis, & ad imaginem Dei Immortalis continuo creat; ita pariter ceu *supernaturalis Veritas, & Bonitas Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam ad imaginem, & expressionem supernaturalis Veritatis, & Bonitatis Divinae lumine Fidei, & gratiae semper format.* Quapropter id totum, quod in hoc opere *De imagine Dei*, & *Magisterio* I. Christi *naturali* traditum est, *Imagini Dei*, & *Magisterio Christi supernaturali* facili negotio ad immarcescibilem fructum tuum, & meritum adaptare, & ad Deum & D. N. I. Christum, qui omnis veritatis, & infallibilitatis *Primum Principium, & ultimus Finis*, atque *infallibile Criterium est* (*n.* CLXVII & CLXVIII), promovente *Luce Immensa*, (*num.* CXXV,) reducere, reducendoque universum Fidei Divinae argumentum in infallibilem Dei revelantis auctoritatem, primam in *dicendo*, *cognoscendo*, & *essendo* Veritatem, ceu in infallibile Veritatis Criterium, seu in primam, & Ultimam rerum omnium aeternam Rationem obiectivam resolvere sapienter noveris.

CLXXXIII Dum autem infallibilis Ecclesiae Doctrina Fidei, & morum *de ORE* * Infallibilis Magistri Dei & D. N. I. Christi, ceu *gladius utraque parte acutus exit*, tanquam Verbum Dei, quo bonum a malo, veritas ab errore fecernitur. *Vivus est enim sermo Dei*, ** *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor*, seu *CRITICUS*, *cogitationum, & intentionum cordis. Criticus* autem dicitur *Iudex*, *qui penetranti valet iudicio, & severe, ac censorie minima etiam reprehendit.* Etenim Verbum Dei *de ORE Christi*, quod est Una, Sancta, Catholica, & Aposto-

consensum denegare, rationabiliter contradicere, aut sufficienter resistere possit... Attamen tot protestantes, tot inobedientes, totque haeretici incomparabili huic auctoritati contradicunt, & resistunt.... Sed omnes qui id ipsum attentant, vel non sciunt quid faciunt, & sunt ignorantes, aut malum cognoscunt, quod committunt, & isti malignantes sunt... Revolve *n.* VI * & VII *

* *Apoc.* I

** *Hebr.* IV

lica Ecclesia tradendo infallibilem Doctrinam Fidei, & morum iugiter procedens, est *infallibilis Criticus, & Iudex Solus, & unus omnium controversiarum Fidei, & morum.* Quapropter ut pretiosissimum hoc *Infallibilitatis Donum*, quo Divinus Magister, & Sponsus, Deus & D. N. I. Christus, suam Ecclesiam, Ierusalem novam, tanquam amorosissimam sponsam & Discipulam, immutabiliter adornat, communi laetitiae, & exultationi uberiore apparatu exponatur,

Universorum conspectui, ac deliberationi perhibentur duo contraria iuxta se posita

&

Ecclesia infallibilis,

CLXXXIV Cuius *infallibilitas* Divinae *infallibilitatis*, *veritatis*, & *auctoritatis* eximia *participatio* est, & *effectus.*

Ideo

I In doctrina fidei, & morum *non potest* fallere, nec falli.
In hac fidei, morumque doctrina est *infallibiliter* vera, & bona.
Non potest alios docere falsum, *nec potest* ab aliis doceri falsum.

II *Nunquam* fefellit, nec falsa fuit, *nec hodie* fallit, nec fallitur.
Nullo tempore fallet, aut falletur.

III *Nullibi* fallit, aut fallitur.
Nullo modo fallit, aut fallitur.
Nulla ratio convincit eam fallere, aut falli; quia *ratio infallibilitatis est immutabiliter infallibilis*, secus *simul esset fallibilis.*

IV Est *Columna, & firmamentum veritatis.* I Tim. III
Semper de fidei veritate, morumque probitate *secura*, *nunquam* de

Ecclesia fallibilis,

Cuius *fallibilitas* Divinae *infallibilitatis*, *veritatis*, & *auctoritatis* misera *privatio* est, & culpabilis *defectus.*

Ideo

I In doctrina fidei, & morum *potest* fallere, & falli.
In hac fidei, morumque doctrina non est *infallibiliter* vera & bona.
Potest alios docere falsum, & *potest* ab aliis doceri falsum.

II *Aliquando* fefellit, & falsa fuit, & *hodie* fallit, & fallitur.
Nullo tempore non fallet, aut non falletur.

III *Ubique* fallit, & fallitur.
Omni modo fallit & fallitur.
Omnis ratio demonstrat eam fallere, & falli; quia *ratio fallibilitatis est immutabiliter fallibilis*, secus *simul esset infallibilis.*

IV *Non est columna, & firmamentum veritatis.*
Nunquam de fidei veritate, morumque probitate *secura*, & *sem-*

Eccleſia infallibilis

falſitate aut improbitate *formidoloſa.*

Quidquid docet eſt *certum*, *indubitatum*, *ſine omni* de oppoſito *formidine.*

V Eſt *OS* Dei Patris, *vox* Filii, & *lingua* Spiritus Sancti, & unum, & alterum eſt organum *aptum*, quia *infallibile*, per quod *infallibiliter* loquitur Deus.

Per *infallibilem* Eccleſiam loquitur Deus *infallibiliter*, & non *fallibiliter.*

De Eccleſia *infallibili* dictum eſt: qui *VOS infallibiles* audit, *ME infallibilem* audit.

VI Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia eſt *infallibilis auctoritatis*, non autem *quilibet* fidelis privatus.

Cum infallibili Eccleſia *eſt Chriſtus uſque ad conſummationem ſeculi*: & *Spiritus veritatis manet cum illa in aeternum.* Matth. ult. Ioan. XIV, & ideo eſt, & permanet *infallibilis* in aeternum.

Nullus privatus proprio ſenſui *plus credit*, *proprio* iudicio *plus fidit*, aut *propriae* voluntati *potius obedit*, quam communi ſenſui, iudicio, & voluntati unius, Sanctae, Catholicae, & Apoſtolicae *infallibilis* Eccleſiae.

VII *Infallibiliter* ſcit, & debet ſcire, I quod exſiſtat Verbum Dei ſcriptum, & traditum II, quot, & quales ſunt libri canonici S. Scripturae, III *infallibiliter* diſcernit Verbum

Eccleſia fallibilis

per de falſitate, & improbitate *ſuſpecta.*

Quidquid docet eſt *incertum*, *dubium*, & *cum gravi* de oppoſito *formidine.*

V *Non eſt os* Patris, *nec vox* Filii, *nec lingua* Spiritus Sancti, quia unum, & alterum eſt *fallibile*, ideoque *aptum* organum, per quod *infallibilis* Deus loqueretur *fallibiliter.*

Per *fallibilem* Eccleſiam Deus *non* loquitur *infallibiliter*, ſed *fallibiliter.* (Audis blaſphemiam?)

De Eccleſia *fallibili* dicendum eſt: qui *vos fallibiles* audit, me *infallibilem* Deum *non* audit.

VI *Quilibet* homo privatus Eccleſiae fallibilis *maioris eſſet auctoritatis*, quam tota, Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

Cum fallibili Eccleſia *non eſt Chriſtus* uſque ad conſummationem ſeculi: *nec Spiritus veritatis manet* cum illa in aeternum, & ideo eſt, & permanet *fallibilis* in aeternum.

Quilibet privatus proprio ſenſui *plus credere*, proprio iudicio *plus fidere*, & voluntati propriae *potius obedire* praeſumit, quam ſenſui, iudicio, & voluntati Catholicae *infallibilis* Eccleſiae.

VII *Fallibiliter* putat, I exſiſtere Verbum Dei ſcriptum, & traditum *fallibiliter* reprobat. II quot, & quales ſunt S. Scripturae libri Divini *fallibiliter* aſſignat. III *fallibiliter*

Eccleſia infallibilis

Dei a verbo hominum, & quae inter tot corruptas Scripturas ſola ſit genuine authentica. IV Quis verus, & quis erroneus Verbi Dei ſcripti, & traditi ſit ſenſus, *infallibiliter* cognoſcit. V Infallibilis idipſum diſcernit per traditionem Divinam; & ideo *infallibilis Eccleſiae fides eſt tota Divina.*

VIII *Infallibilis* eſt, & fuit per MDCCLXXVII annos Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ſecundum *infallibilem* Symboli Apoſtolorum articulum, & *ex hoc infallibilitas Eccleſiae eſt fidei immutabilis articulus.*

Infallibilitatis Eccleſiae *infallibilis* principium eſt *gratia Divina.*

Sola poteſt eſſe iudex infallibilis controverſiarum fidei, & morum, cuius lata ſententia eſt *infallibilis.*

IX Infallibili Eccleſiae *promiſſus*, & *datus* eſt Spiritus *veritatis*, *ut maneat cum illa in aeternum*, & *doceat illam omnia*, *& ſuggerat ei omnia, quaecunque dixit Chriſtus*, & ideo eſt infallibilis. Ioan. XIV

Infallibilis Eccleſiae *fides* eſt *infallibile credere*, quod *non poteſt* fallere.

In Eccleſia *infallibili* ſubſiſtit *infallibilis ſpes*, & confidentia.

Infallibilis fides, & Eccleſia fundatur ſupra *infallibile fundamentum*, alias eſſet *fallibilis.*

X Omnes Paſtores Eccleſiae *infalli-*

Eccleſia fallibilis

diſcernit Verbum Divinum a verbo hominum, aut quaenam inter tot corruptas Scripturas unica, & ſola ſit authentica. IV Quis verus, falſuſve Verbi Dei ſcripti ſit ſenſus, *fallibiliter* tradit. V Fallibilis, quae traditionem non admittit, idipſum diſcernit per opinionem humanam, & ideo *fallibilis Eccleſiae fides eſt tota humana.*

VIII *Fallibilis non eſt*, nec fuit per MDCCLXXVII annos Una, Sancta, & Apoſtolica Eccleſia, & id *non eſt* ſecundum Symboli Apoſtolorum articulum, & *ex hoc fallibilitas Eccleſiae eſt contra fidei immutabilem articulum.*

Fallibilitatis Eccleſiae *fallibilis* fundamentum eſt *miſeria humana.*

Fallibilis non poteſt eſſe iudex infallibilis, ſed ſolum *fallibilis*, cuius lata ſententia eſt *fallibilis.*

IX Fallibili Eccleſiae *nec promiſſus*, *nec datus* eſt Spiritus veritatis, *nec eſt* cum illa, *nec docet* illam, *nec ſuggerit* ei, quae dixit Chriſtus, & ideo *non eſt* infallibilis, ſed *fallibilis.*

Fallibilis Eccleſiae *fides* eſt *fallibile putare*, quod *eſt enormiter errare.*

In Eccleſia *fallibili* ſubſiſtit *fallibiliter ſpes*, & *confidentialis fides*, & ideo *nulla.*

Fallibilis fides, & Eccleſia *non* fundatur ſupra *fundamentum infallibile*, quia alias non eſſet *fallibilis*, ſed *infallibilis.*

X Omnes Paſtores Eccleſiae *fallibi-*

Ecclesia infallibilis

bilis, simul sumpti, in doctrina fidei, & morum sunt *infallibiles*, nec fallere possunt, nec falli.

Infallibilis Ecclesiae fides, & fidelis adeo *securus* est, ut id *magis* esse non possit, quia credit idipsum, quod universa credit Ecclesia, quae errare non potest.

Infallibilis Ecclesia est domus aedificata a *prudente* architecto supra *infallibilitatis petram*, contra quam ventorum vis, impetus aquarum, inferorumque portae *non praevalebunt*. Matth. VII

Igitur quam audierunt Patres nostri, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam *infallibilem* Ecclesiam, audiamus & nos; qui enim istam Ecclesiam obediendo non audit, est sicut & ethnicus & publicanus. &c. &c. &c.

Ex hac *infallibilis Ecclesiae* delineatione, quod eiusdem *infallibilitas* Divinae *infallibilitatis*, *veritatis*, & *auctoritatis* eximia *participatio*, & *effectus* sit, evidenter conspicitur.

Ecclesia fallibilis

lis, simul sumpti, in doctrina fidei, & morum sunt *fallibiles*, & fallere possunt, & falli.

Fallibilis Ecclesiae fides, & fidelis adeo parum *securus* est, ut *minus* securus esse non possit, quia credit contra *infallibilem* Ecclesiam *fallibili* aliorum, & suae opinioni.

Fallibilis Ecclesia est constructa ab *imprudente* * architecto supra *fallibilitatis arenam*, contra quam & vis ventorum, & impetus aquarum, atque inferorum portae *praevalent* **. *Luc.* VI

Igitur quam Patres nostri ante CCLX, annos audierunt, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam *infallibilem* Ecclesiam, nos non audiamus, sed aliam *fallibilem*, quae nec Una, nec Sancta, nec Catholica, nec Apostolica est. &c. &c. &c.

Ex hac *fallibilis Ecclesiae* constitutione, quod eiusdem *fallibilitas* Divinae *infallibilitatis*, *veritatis*, & *auctoritatis* misera *privatio*, & *defectus* sit, indubitanter demonstratur.

* Matth. VII, ab ipso Christo imprudens architectus dicitur *vir stultus*.

** *L'Inghilterra* (sunt verba epistolae Ganganelli ad Card. Cavalchini) *dovrebbe sempre correggere lo zelo indiscreto .... Che direbbe ..... se tornasse sulla terra? Si applaudirebb' egli della sua opera, vedendo questo Regno, già il seminario dei Santi, oggi l' assemblea di tutte le sette, e di tutti gli errori?*

Seminarium Sanctorum erat inclita Anglia, quamdiu infallibilem Ecclesiam obediendo audivit: omnium autem errorum, vitiorumque fiebat concilium, quamprimum ipsa fallibilis infallibilem Ecclesiam non obediendo contempsit.

Supra praedicta infallibilis, & fallibilis Ecclesiae paradoxa reflexio matura.

CLXXXV Sana *Ratio* humana, dum isthaec paradoxa, quae ipsa *Ratio obiectiva*, ipsa *Veritas* & *Infallibilitas aeterna*, Deus & D. N. I. Christus Unus Magister, Verus *Criticus* immutabiliter dictat, attenta mente perlegis, quid desuper sentis? An de iisdem quidpiam negabis? at idipsum, sicut a primo ad ultimum totum isthoc argumentum *infallibilis*, & *incommutabilis Rationis*, & *Veritatis aeternae* documentum est, & magisterium; ita nihil eorum, quae ipsius Dei, luminis fidei, & rationis auctoris, sunt oracula, absque graviori culpa negare poteris, & singula sine exceptione concedere, ac propria tua manu, Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam *solam*, *supra infallibilitatis petram a Christo aedificatam, contra quam portae inferi nunquam praevalebunt*, ideoque *infallibilem* esse, subscribere teneris... Et Dum tanta inter *infallibilem*, & *fallibilem Ecclesiam* differentia, quanta inter clarum diem, qui participatio lucis solaris est, & inter obscuram noctem, quae eiusdem lucis est privatio, a sana Crisi adnotatur, tu, qui praeter tuam culpam extra infallibilis Ecclesiae gremium es natus, & in minus felici sinu *Ecclesiae fallibilis* educatus, tu Amice, qua prudenti ratione acerbius sentire, aegriusve ferre potes idipsum, quod numero VI legis: *Propterea Una, Sancta, Catholica, & Apostolica auctoritas, qua late patet orbis terrarum, TALIS; ac TANTA est, ut in huius conspectu si Materialistarum, & Turcarum, si Lutheranorum, & Calvinistarum, ceterorumque sectariorum turba in comparationem constituatur, ceu auctoritas prorsus nulla, imo & huius ipsius nominis, auctoritas, indignissima iure maximo, meritoque optimo habenda; & pensanda sit, &c.* Qua prudenti ratione, si supra *n.* CLXXXIV, ubi tuo conspectui, & deliberationi *infallibilis Ecclesia*, & *fallibilis*, utpote duo contraria iuxta se posita, perhibentur, maturius te reflectas, tu idipsum aegrius feras?...

CLXXXVI An non potius supernorum luminum, & misericordiarum Patri omnipotenti, Qui unigenitum suum, ut ceu *Sol intelligentiae*, & *iustitiae* omnem hominem in tenebris errantem illuminet, tibique, qui erroneae doctrinae fidei, morumque circumventus, & deceptus fraude, veluti a nativitate es caecus, non sine miraculo visum restituat, & ex fallibilis Ecclesiae tuae miseria ad infallibilis Ecclesiae suae gloriam reducat, profitere perdilecte, an non potius tanto Patri gratias, quas potes maximas, sine fine rependas?... An non potius gratiosae vocationi, qua te ad nuptias, quas in sua Una, Sancta, Catholica, Apostolica, & infallibili Ecclesia Filio suo Regi paravit, iterato invitat, obediendo venias, & perseverando subsistas?.... Surge igitur Amice, & veni ad nuptias, parata iam sunt omnia.... Nec aliud insuper praeter istud: *compelle intrare*, expectes, ne & tu inter multos invitatos,

qui venire aut nolebant, aut retardabant, ceu tantae gratiae indignus sis reprobandus, *multi enim sunt vocati*, invitati multi, *pauci vero electi*, pauci aeternum beati! Quia inter non paucos vocatos non multi sunt, qui ex fallibili Lutheri, Calvini, & Zvvinglii Ecclesia, quae manifesti erroris, & certae perditionis est via (CLXXXIV), iterato ad caelestes agni nuptias invitati, ad infallibilem Ecclesiam, quae inviolatae veritatis, & aeternae salutis est porta, immarcescibles nuptiarum delicias gustaturi redeunt... *Et Spiritus* Sanctus, *& Sponsa*, Ecclesia, *dicunt*: *Veni*!... *Apoc.* XXII.

Totius operis Epilogus

CLXXXVII Ceterum ut tu lector, qui benevolentia, & lectione tua hanc Dei Immortalis imaginem respicere dignaris, eximius Divini Magistri Christi Domini & certo, & cito evadas discipulus, attentus iugiter audias, quid loquatur in te Deus, & D. N. I. Christus, quia loquitur ad te intra te tum *lumine rationis*, quod est *revelatio naturalis veritatis, & bonitatis*, tum *lumine fidei*, quod est *revelatio supernaturalis veritatis, & bonitatis*. Quantus hunc Divinum Magistrum audis, tantus eiusdem Discipulus proficis, & immutabili ratione infallibilem fidem, & infallibili fide immutabilem rationem fidelibus, & infidelibus, Graecis, & barbaris tanta certitudine, & potestate exponere, cunctasque haereses expugnare noveris, quantum ad conterrendos, delendosque Ecclesiae Dei hostes necessum, opportunumque fuerit... Ultra hoc ne aliud quid sapias; *sufficit* enim *discipulo, si sit, sicut Magister eius. Matth.* X. Reliquum est, ut litterarium isthoc nummisma, quod ceu iustissimus profundissimae subiectionis, & observantiae maximae census, * Divinissimae Maiestati sacratum est, cuius exhibet *imaginem*, eiusdem ostendat & *inscriptionem*, nimirum *Dei Immortalis, Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*. Cui a Virginea Matre, & ab universa Creatura Immortalis sit Honor, & Gloria per omnia seculorum secula, Amen.

---

* Matth. 22 *Dic nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Caesari, an non? Iesus ait: Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt denarium. Et ait illis Iesus: cuius est imago haec, & superscriptio? Dicunt ei Caesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quae sunt Caesaris, Caesari, &, quae sunt Dei, Deo.* Sicut Caesar a vobis exigit impressionem imaginis suae & inscriptionis, sic & Deus; & sicut illi redditur nummus, sic Deo anima Lumine & Nomine eius signata. *Ex Aug. in Psalm.* 4.

INDEX

PARS I

Imago Dei Immortalis Anima Rationalis
Exprimit Rationem aeternam
ſimplici perceptione.

Signum * *Notae.*

PARS SECUNDA

Imago Dei Immortalis Anima rationalis exprimit Rationem aeternam infallibili enunciatione.

PARS TERTIA

Imago Dei Immortalis Anima rationalis exprimit Rationem aeternam immutabili ratione.

APPENDIX

Infallibile Veritatis Fidei, & Rationis Criterium.

&

FINIS.

APPENDIX

Infallibile Veritatis Fidei, & Rationis Criterium.

&

FINIS.

APPROBATIONES.

Reverendissimi Patris Erhardi a Radkerspurgo Ordinis nostri Procuratoris ac Commissarii Generalis iussu opus, cui titulus est *Imago Dei Immortalis, Anima rationalis &c.* a R. Patre Udalrico a Gablinga Ordinis nostri Philosophiae olim, nec non sacrae Theologiae Lectore elucubratum attente perlegi: Cumque nihil in eo contra fidem, bonos mores, & Principes deprehenderim, quinimo eruditioni, saniorique doctrinae apprime consonum animadverterim: Eapropter publicae utilitatis, ac eruditionis gratia praelo ut demandetur, quammaxime dignum censeo.

Dabam Alexandriae A. a P. V. 1771, die 12. Novembris.

Fr. Ludovicus ab Alexandria S. Theol. Lector, ac Vicar. Capuccinus.

Opus, quod typis demandandum P. Udalricus a Gablinga Ord. S. P N. Francisci Capuccinorum olim Philosophiae ac Theologiae Lector inscripserat: *Imago Dei Immortalis, Anima rationalis ad expressionem rationis aeternae facta* iussu Rmi Patris Erhardi a Radkerspurgo eiusdem Ord. Procuratoris & Commissarii Generalis, qua potui, omni diligentia ac studio perlustravi, fidei, moribusque consentaneum, validisque comprobatum argumentis illud percepi: Eapropter libertino Philosopho, ut veritatem, suaeque animae dignitatem aliquando intelligat, proponere expeditius erit.

Dat. in Conventu nostro Regii Oppidi S. Salvatoris 3 Decembris 1771.

F. Raphaël à Casali Montisferrati olim S. Theol. Lector, & Guardianus Capuccinus.

Nos Fr. Erhardus a Radkerspurgo, Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Definitor, Procurator, & Commissarius Generalis (1. i.)*


Cum opus, cui titulus: *Imago Dei Immortalis, Anima rationalis ad expressionem rationis aeternae facta* duo Ordinis nostri Theologi, quibus id commisimus, recognoverint, atque in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus eiusdem operis Auctori P. Udalrico a Gablinga, Ordinis nostri Concionatori, & SS. Theologiae Ex-Lectori, ut servatis servandis illud typis mandare possit.

Datum Romae 20 Decembris 1771.

Fr. Erhardus qui supra.

---

* *In praesenti Totius Ord. Minister Generalis.*



V. SE NE PERMETTE LA RISTAMPA

CAGLIARI LI XXIII MARZO MDCCLXXVII

CORONGIU VIC. GEN.



V. SI RISTAMPI

CAGLIARI LI XIV APRILE MDCCLXXVII

FAUZONE REG.


BIBLIOTECA

